

7361.

OVIS BICORPORIS DESCRIPTIO,  
ADJUNCTIS NOTATIONIBUS DE  
MONSTRORUM DUPLICIUM ORTU  
IN GENERE.

DESSSERTATEO ENAUGUGURALES

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA  
**DORPATENSI**

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICUME

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

AUTOR

*Alexander Schmidt,*  
E S C U O N U S .

*Accedit tabula lithographica.*



DORPATENSI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI

MDCCCLVIII.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio, ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit,  
numerus exemplorum lego praescriptus collegio tradatur ad libros  
explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XXX mens. Maji a. MDCCCLVIII.

*Dr. Samson,*


ord. med. h. t. Decanus.

NF 138.

(L. S.)

## PARENTHUS

D



437306

FILIUS.

I m p r i m a t u r  
haec dissertation, ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit,  
numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros  
explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XXX mens. Maji a. MDCCCLVIII.


NF 138.

(L. S.)

*Dr. Samson,*

ord. med. h. t. Decanus.

## PARENTIBUS



437306

FILIUS.

## ***Praefatio.***

---

Monstrum, quod descripturus sum, benignitati administratoris praedii Osiliensis **Masik**, viro liberalissimo, **Rinne**, cuius in pecore natum erat, acceptum refero. Quod ego statim hujus universitatis museo pathologico anatomico tradere constitui, et, suadente prof. Dr. **Bidder**, in dissertatione inaugurali describere decrevi. Cui viro, praceptorum summe venerando, superest, ut auxilii in exaranda commentatione humanissime mihi praestiti debitas gratias persolvam. Neque non prof. Dr. **Unterberger**, viri doctissimi, qui libros, quibus opus erat, mihi utendos benignissime concedererit, grato animo commemorandum est meritum.

---

## CAPUT I.

### *Monstri descriptio.*

#### 1. Prolegomena.

Monstrorum exempla, trunco ex toto duplii, capite simplice, in magno vitiorum primae conformatio-  
nismo raro reperiuntur, atque rariora sunt, utroque corpore per-  
fecte efformato. — Plerisque in casibus corporum alterum  
alterius conformatio-  
nem impedit, ita ut hoc, partibus magis  
minusve imperfectis, parasiti ad instar illi adnexum appa-  
reant. Quae res, auctore H. Meckel ab Hembsbach, prae-  
cipue in monstribus sexus virilis observatur, qui  
vir doctus, et suis ipsius observationibus et relationibus ex  
Halleri, J. F. Meckelii, Ottonis, Burdachii scriptis  
desumptis innixus, ferme quartam monstrorum duplicium  
symmetricorum partem sexus masculini esse testatur.  
Cujus phaenomeni causam H. Meckel in eo reposi-  
tam esse censet, quod in universum animadvertere li-  
ceat, duos fratres rarius, quam duas sorores, aequa-  
bilem formationis decursum tenere<sup>1</sup>). Mihi oblata est

---

1) H. Meckel ab H. Ueber die Verhältnisse des Geschlechts etc. in: Müller's Archiv p. 251 sq.

occasio monstrum duplex paene symmetricum ovinum sexus virilis mibi comparandi, in quo, solis capite et atlante simplicibus, omnes reliquae sceleti partes duplices cernantur. Nonnulla ejusdem modi exempla Gurlt in indice praeparatorum musei zootomici scholae veterinariae regiae Berolinensis commemorat<sup>2)</sup>, accuratiore tamen eorum descriptione non adjuncta. Quamvis haud negaverim, in aliis quoque collectionibus similia servari posse praeparata, tamen, quod equidem sciam, in litteris ad monstra pertinentibus talium descriptio non invenitur. Quod Delle Chiaje<sup>3)</sup> descripsit delineandumque curavit monstrum caprinum, id falso inter duplicitates posteriores est habitum. Etenim hoc monstrum columnas vertebrales omnino inter se disjunctas offert, quarum alteri tantum impositum est caput, capite altero jam mature pessumdato. Quod quum ita sit, haec formatio completa primordiorum totius corporis duplicitate innititur, truncis postea, id quod ex ipsa pendebat evolutione, Jani in modum coalitis. Rerum rationes prorsus similes duo casus monstrorum duplicium capite simplici, a Gurlt<sup>4)</sup> descripti, praebent.

Monstrum, quod descripturus sum, ipse vivum non vidi, attamen comperi, illud quattuor per horas vixisse et octo extremitates jactasse. Neque de partu quidquam certius eruere licuit. Mater sana mansit.

2) Gurlt und Hertwig, Magazin für die gesammte Thierheilkunde. Vol. IV. p. 149. Vol. XII. p. 32. Vol. XVII. p. 437. Vol. XXII. p. 300 et 313.

3) Atti del real istituto d'incorraggio alle science naturali di Napoli. Tom. III. 1822. p. 180—204.

4) Gurlt und Hartwig, Magazin etc. 1849. p. 250.

## 2. Habitus externus.

Capiti simplici, omnino secundum normam formato, collum latissimum, quantum videtur, simplex adjungitur, ex quo ad thoracem valde informem devenitur, quem apertum est, duobus thoracibus coalitis, exortum esse. Quae concretio longius etiam ad regionem epigastricam pertinet, ita ut demum a communi apertura umbilicali (funiculus umbilicalis abruptus erat) completa duorum corporum dis junctio incipiat. Itaque collum thoraxque et regio epigastrica duorum corporum communi inclusa erant cuti. In monstri facie superiore, quae dorsum videbatur, duae repartae extremitates anteriores, omnino efformatae, duabus alteris in facie inferiore, quae ori respondebat, positis. Extremitates, quas posteriores memoravi, situm obtinebant normalem, dum priores non angulis rectis ex corpore proveniebant, sed altera juxta alteram in superiore monstri facie sitae sunt, ad partem posticam, ad pelves versus, directae. Corporum dimidia posteriora prorsus sejuncta, symmetrice evoluta, ita posita erant, ut facies abdominalis faciei abdominali esset opposita. Singulis pelvibus binae erant extremitates; attamen corporis dextri extremitates, quamvis in omnibus partibus normales ostenderent dimensiones, quodam peculiari modo deformes erant. Femur et crus secundum normam inserta erant, pes autem valde rotatus fuerat, ita ut calcaneus omnino partem anteriorem inferioremque spectaret, metatarso ad partem posticam et sursum converso.

Funiculi umbilicalis nullum aderat vestigium, quippe qui ex animalis abdomine extractus esset, qua re, quo angulo

duo abdomina coaluerant, magis faciem inferiorem versus, foramen magnum extiterat. Quae vis, quod dolendum est, etiam ipsa cavi abdominalis organa afficerat. eorumque destructiones haud exiguae provocaverat.

### 3. Sceletus.

Cute detracta, compertum est, duo exstare ligamenta nuchae inter se disparata, quae in occipite, angulo acuto, concreverant, unde confirmata est suspicio, hoc monstrum re vera inter duplicitates posteriores referendum esse. Duplicitas posterior, tantum per speciem extans, qualis adfuit in casu jam allato a Delle Chiaje descripto, convenienter ad columnarum vertebralium rationes, certe ligamenta nuchae non coalita ostendisset. Omni autem dubitatione res exempta est, sceleto ipso in disquisitionem vocato.

Caput omni ex parte bene formatum atlanti simplici pro rata parte lato insidet. Atlantis processus obliqui posteriores duarum fossarum glenoidalium, quae profundae inter se prominentia quadam dirempta sunt, speciem offerrunt. His fossis articulo duo conjuncti sunt epistrophei, quorum suo uterque processu obliquo exteriore atlanti cohaeret, dum processus obliqui interiores facie sua glenoidalii alter alteri adjacent. Ceterum arcus interior epistrophei sinistri, qui respondentem processum obliquum interiore fert, cum corpore vertebrae non coaluit, sed articulo junctus est. Quo sit, ut hic arcus, praesertim si inde a facie abdominali consideretur, ossis intercalaris, inter duos epistropheos inserti, speciem prae se ferat. Ligamenta a tuberculo atlantis inferiore (antico) exeuntia non utriusque epistrophei

corpori, sed tantum sinistri arcui, cum corpore nondum concreto, affiguntur. Ambo processus odontoidei, alter juxta alterum in inferiore (anteriore) atlantis arcu positi, massis ligamentosis tum crani basi atque atlanti tum inter se conjuncti sunt. Praeterea corporis sinistri epistropheus eam abnormitatem offert, quod ex parte cum vertebra cervicali tertia coaluit; etenim ejus processus obliquus dexter posterior continue in dextrum anteriorem vertebrae tertiae processum obliquum transit. Ergo hoc loco normalis ope articuli conjunctio inter processus obliquos alterum ad alterum conversos deest, quam rem si momento modo allato adjunxeris, quod in epistropheo sinistro alter arcus cum vertebrae corpore articulo junctus est, hoc in casu exemplum habes rationis illius in monstribus non ita raro obviae, quam Geoffroy St. Hilaire aequilibrii legem (Loi de balancement) appellat. Duobus epistropheis duae adjunguntur columnae vertebrales, omnino ad normam efformatae.

Columnae vertebrales cum decursum ineunt, ut magis magisque inter se discedant, angulo, quo concurrunt, acuto. Qua in re utraque columna vertebralis partem exteriorem versus circumagitur; dum processus spinosi vertebrarum cervicalium primarum directo sursum exeunt, vertebrarum sequentium processus magis magisque ad partem exteriorem, et vertebrarum corpora convenienter magis magis introrsum inclinant, donec in thorace, ac magis etiam in abdomen, duae columnae vertebrales haud amplius, ut ab initio, altera juxta alteram, sed facie abdominali inter se oppositae sint, ideoque facies dorsales, directione contraria, ad exteriora spectent. Quamobrem os, ad duorum corporum dorsa quod attinet, latus versus situm est. Praeter hanc colu-

mnarum vertebralium circa axes longitudinales conversionem etiam illae in parte sua thoracica insignem offerunt kypohosin, quae, ut per se intelligitur, quum processus spinosi hac in parte jam omnino ad exteriora spectent, eo consistit, ut columnae vertebrales etiam partem externam versus infractae appareant, qua re diametros latitudinis communis cavi pectoralis aliquanto adaucta est.

Parietes pectoris utriusque corporis eum in modum inter se coaluerunt, ut costae ab utriusque columnae vertebralis marginibus internis vel superioribus, altero ad alterum conversis, exeuntes, ergo costae dextræ corporis sinistri, sinistrae dextri, sterno communi junctæ sint. Parietæ costae exteriores vel inferiores, ergo dextræ corporis dextri, sinistrae sinistri, inter se congressæ communem pectoris parietem inferiorem constituunt. Evidem sternum illud costasque illas, quae, situs respectu habito, faciei occipitali respondent, nomine superiorum, altera faciei oris respondentia inferiora appellabo. Itaque duo thoraces cavum pectorale commune, admodum amplum, includunt. Costae superiores, ejus lacunar efformantes, quamquam magnitudine inferioribus non cedunt, tamen omnino non sunt curvatae, quo fit, ut tota superior thoracis pars plana parumque evoluta cernatur. Costis inferioribus, uti solent, angulis rectis e columnis vertebralibus exeuntibus atque secundum normam curvatis, angulus, quem superiores formant, acutissimus est, costaeque ipsae partem posticam spectant, ubi sterno, quod et ipsum valde ad partem posteriorem pulsum est, angulis aeque acutissimis inseruntur. Qua de causa totum sternum inferius ad cavum pectorale pertinet, superio-

ris autem non nisi dimidium anterius, dum dimidium posterius commune cavum abdominale desuper tegit.

Corporum dimidia posteriora inter se disjuncta, excepta extremitatum posticarum corporis dextri deformitate, de qua supra mentionem injecimus, nec magnitudine nec formatione a norma discedunt. Ex quattuor, quae exstant, extremitatibus anterioribus, quemadmodum ex scapularum respondentium situ, columnarum vertebralium ratione habita, concludere licet, singulæ sursum, singulaeque deorsum vergentes ad unum corpus pertinent, et quidem extremitas dextra sursum spectans, dextraque deorsum conversa, ab utroque columnae vertebralis dextræ latere sitae, ad corpūs dextrum, duæ reliquæ ad sinistrum. Scapulae, quae ad duas extremitates deorsum spectantes pertinent, id quod thoracis inferioris convexitati et evolutioni multo majori convenit, situm normalem obtinent, basi sursum ad columnas vertebrales, superficie glenoidali deorsum conversa. Secundum haec necesse fuisset, scapularum superne positarum superficies glenoidales sursum vergere, nisi paries costosternalis justo planior angustiorque foret. Qua de re, ut in hoc pariete situm habere possent, circumactæ sunt, ita ut nunc bases partem anteriorem versus ad occiput, superficies glenoidales ideoque totæ extremitates partem posteriorem spectent, dum margines anteriores, nunc interiores facti, linéam medianam obtinentes, paene alter alteri contermini sunt. Quo fit, ut primum intuenti species offeratur talis, quasi duæ extremitates communi monstri dorso incumbant. Ceterum ossa extremitatum ipsa modusque, quo articulis inter se junguntur, a norma nil discrepant.

#### 4. Musculi.

Ad partes sceletum tegentes quod attinet, admoneam oportet, musculos, quibus abdominis parietes formentur, ceterasque partes molles, pariter atque osseos thoracis parietes, non utroque in corpore separata esse sed cum respondentibus corporis alterius partibus coaluisse, quae concretio tamen quum non pertineat nisi ad umbilicum usque, cavum abdominale, a diaphragmate usque ad umbilicum commune, partem posticam versus in duo dividitur cava inter se disjuncta, quae in duas pelves ferunt.

Trunci musculi, si utrumque corpus per se contemnere, non aequabiliter formati apparent. Quod maxime de musculis cervicum collique dicendum est, quoniam musculi interni, inter duas columnas vertebrales hac in parte alteram alteri proximas positi, deficiente spatio, perparum evoluti atque ex parte etiam cum corporis alterius musculis coaliti cernuntur. Sic duo musculi cucullares interiores unum efformarunt musculum latum planumque, quo triangulum inter scapularum interiorum bases et ligamenta nuchae proprius propiusque inter se accendentia positum expletur. Porro musculi coracobrachiales ad easdem scapulas pertinentes, nec non musculi supraspinati parallelum ab utroque lineae mediae latere decursum ineuntes, at hi tamen solis vaginis, inter se coaluerunt.

Musculi gastrocnemii utriusque extremitatis posterioris distortae, postquam ab initio secundum posteriorem cruris situm normalem obtinentis faciem decurrerunt, inde cum eo decussantur, partemque anteriorem versus tendentes calcanei processui,

partem anteriorem inferioremque et paullulum partem externam spectanti, sese inserunt.

#### 5. Organa interna.

Tubus alimentarius cum appendicibus. Omnes ejus partes ad caput pertinentes, ut per se patet, simplices et secundum normam formatae sunt. Eadem partis ad collum partisque ad pectus pertinentis ratio est. Solummodo oesophagus non alterutri duarum columnarum vertebralium adjacet, sed in ipsa linea media inter eas situs est, ergo pars ad collum pertinens infra partes molles, quae interstitium inter duas columnas vertebrales positum explent, supra tracheam et ipsam simplicem, pars autem ad pectus pertinens in planicie per duorum sternorum lineam medium ponenda, proprius sternum superius, supra pulmones et cor, et ipsa simplicia, situm habet. Magis ad partem posticam oesophagus rursus deorsum flectitur, ita ut dia phragma commune fere in parte media perforetur. In ventriculo autem duplicitas jam initium capit, quoniam duo rumina (Pansen) duoque reticula (Netzmagen), perfecte evoluta, exstant. Ex utroque reticulo apertura propria in ventriculum tertium, qui dicitur psalterius (Buchmagen), communem dicit, qui in ventriculum quartum (Labmagen) omnino simplicem transit. Ventriculus tertius, etiamsi non contineat nisi cavum unum, eo tamen duplicitatis indicium praebet, quod in suprema ventriculi quarti parte forma duorum sinuum lateralium conspicitur, quodque duabus aperturis separatis cum duobus reticulis communicat, quod denique interna ejus superficies stria angusta, laminis carente, per-

longitudinem decurrente, in duas portiones dividitur. Intestinum duodenum simplex apparet, attamen, quod dolendum est, non superest nisi dimidium ejus superius.

Ventriculus totus in communi regione epigastrica, ventriculus quartus in linea media, reliqui modo symmetrico ab utroque hujus positi sunt latere. Ventriculus eum situm tenet, ut superficies sursum deorsumque, margines ad columnas vertebrales spectent, quarum utriusque mesenterio dupli affixus est. Positionem eandem, marginibus ad columnas vertebrales vergentibus, oesophagus ostendit. Itaque, ad situm quod attinet, tubus alimentarius thoracis parietibus respondet, i. e., si cum columnis vertebralibus comparaveris, latera versus spectat.

Ventriculus quartus in intestinum tenuem simplex transit, cuius, quod doleo, nisi dimidium anterius non exstat, posteriore abrupto. Quum autem duo inveniantur intestina jejuna, ilea et cola, prorsus separata, quae utroque in corpore neque indole sua neque decursu a norma recedunt, manifestum est, intestinalorum partem, et quidem locum, quo duo intestinalia inter se separantur, totum deesse. Vero si nullum est, funiculo umbilicali abrupto, fortasse ope ductus vitello-intestinalis nondum ex toto obliterati, totum tripodem i. e. intestini duodeni partem inferiorem cum duobus ejus cruribus divisione exortis, in intestinalia jejuna separata transeuntibus, ex abdomen protractum esse.

Suo utrumque corpus hepate utitur, quae partes, ad normam formatae, tribus lobis consistunt, vesicaque fellea instructae sunt. Duorum ductuum hepaticorum non superest nisi residuum, parte reliqua cum intestinalorum portione extracta, in quam utrumque inosculasse necesse est, defi-

ciente. Utrumque hepar ad dextrum corporis sui parietem abdominalis situm est, ergo hepar corporis dextri deorsum in fundo, quem dixerim, cavi abdominalis communis, hepar corporis sinistri sursum in ejus lacunari situm obtinet. Quae normalis duorum hepatum positio eam ob causam migrationem movet, quod in monstris duplicibus, in quibus facies respondentes altera alteri sunt oppositae, corpus alterum plerisque in casibus viscerum inversionem offert. — Lien in solo exstat corpore sinistro, ad rumen sinistrum positus.

Organa tum uropoëtica tum sexualia utroque in corpore modo aequabili evoluta normam sequuntur.

Respirationis organa quod spectat, larynx et trachea simplicia, ad normam constructa, sub ipso posita sunt oesophago. Pulmonum, qui et ipsi simplices sunt, situs ventriculi positioni respondet, i. e. margines liberi ad columnas vertebrales spectant. Simul pulmones magis sursum vergentes in cavi thoracici communis portione superiore, minus capaci, duabus columnis vertebrarum prominentibus formata, situm habent, dum portio inferior, magis curvata atque capacior, cor continet.

Cor vasaque majora quod attinet, cor simplex, exceptis nonnullis venarum ostiis abnormibus, ceterum secundum normam constructum, in inferiore cavi pectoralis parte positum est, positione ejus pulmonum ventriculique situi respondente, ita ut, pulmonum sternique inferioris respectu habito, a norma non discedat, columnarum autem vertebralium ratione ducta, cor latera versus spectet.

Proveniunt:

- 1) ex cordis ventriculo sinistro aortae truncus communis, perquam brevis crassusque, qui extemplo in duas

aortas, utriusque corpori destinatas, dividitur. Quarum aortarum utraque arcu magno ad partem externam ad columnam vertebralem respondentem convertitur. Aorta descendens sinistra inde intra cavum pectorale secundum corporum vertebrarum partem dextram decurrit, statim autem, postquam per diaphragma transiit, ante vertebrarum corpora se confert, ibique in latere sinistro venae cavae posterioris corporis sinistri situm tenet. Aorta descendens dextra, quum ab initio secundum dextram corporum vertebrarum thoracicarum partem decursum ineat, deinde, diaphragmate perforato, ante vertebrarum corpora a corporis dextri vena cava posteriore dextrorumsum appetat. Unde elucet, ad vasa majora quod spectet, in corpore dextro inversionem adesse.

Ipsa in angulo, qui aortis inter se discedentibus efficitur, ex aortae trunco communi carotidum truncus brevis, sub trachea situs, provenit, qui brevi post in duas dividitur carotides, quae, magis magisque inter se discedentes, ab utroque tracheae latere sub ipsis respondentibus vertebrarum cervicalium corporibus ad caput decurrunt. Utriusque corporis arteriae subclaviae numero normali adsunt, quarum duae alterae ex inferioribus utriusque aortae arcus faciebus, proxime juxta truncum carotidum, initio capto ad duas extremitates anteriores inferius sitas porrigitur, duae alterae, ex superioribus arcum, quos diximus, faciebus oriundae, per costas primas thoraci superioris minus evoluti ad duas extremitates anteriores sursum conversas tendunt. Quaeque arteria subclavia arteriam vertebralem emittit. Ex utraque aorta, decursu ulteriore, arteriae intercostales in cavo pectorali, arteria coeliaca, arteriae renales, spermaticae

internae etc. proficiscuntur, unde appareat, utramque aortam aequo perfecte evolutam esse.

2) Ex cordis ventriculo dextro arteria pulmonalis simplex, aortarum truncum a parte inferiore obtegens, prodit, quae inde, sinistrorum circa hunc truncum circumiens, sursum adscendit, quo facto, in ramos dextrum sinistrumque dividitur. Priusquam hos in ramos discedat, ramum perbrevem, cuius lumen ipsius lumini par est, partem dextram superioremque versus emitit, qui ramus proxime locum, quo aortarum truncus distribuitur, in aortam dextram inosculat (ductus arteriosus Bot.).

Ad cor tendunt:

1) ad atrium ejus dextrum duæ venae cavae anteriores (superiores), quarum utraque, una vena jugulari, quae ab externo columnac vertebrarum cervicalium latere ad externam art. carotidis partem decurrit, unaque vena subclavia, quae ab inferiore extremitate anteriore proficiscitur, inter se confusis, exoritur. Vena subclavia utrimque venam vertebralem ab externo utriusque corporis canale vertebrale oriundam recipit. Duæ venae cavae, postquam ambae infra aortarum respondentium arcum, sinistra etiam infra pulmonalis truncum transiere, sursum (ad partem posticam) versae separatis in cor inosculant. Extremitatum anteriorum sursum spectantium venae non effundunt sanguinem in has duas venas cavae superiores. Postiores quoque (inferiores) venae cavae duplices existant, quarum decursus intra cavum abdominale, excepta in corpore dextro inversione, de qua mentionem jam fecimus, nihil abnorme praebet. Quarum utraque quum, antequam diaphragma perforet, hepar ipsi respondens transeat, hepar autem in corpore dextro ad

abdominis parietem lateralem inferiorem dextrum situm obtineat, in sinistro vero ad parietem dextrum superiorem, necesse est, eas decursu ulteriore dextram deorsum, sinistram sursum converti. Sinistra inde diaphragma supra foramen oesophageum proxime sternum superius perforat, et secundum sternum in cavo pectorali (ergo supra pulmones) decursum init, indeque desuper in cor effunditur. Dextra autem, quum diaphragma infra foramen oesophageum ab eo paullulum dextrorum situm perforaverit, et ipsa intra cavum pectorale, attamen non, uti vena sinistra, lineam medium secuta, magis dextrorum decurrit, pulmonemque dextrum parte inferiore praeteriens, seorsus in cor transit. Ceterum sinistre venae cavae posterioris lumen multo majus est, quam dextrae; ab ejusque facie superiore, postquam sternalis superioris finem anteriorem transiit, tres emittuntur rami magni. Quorum interior, in inferiorem sternalis superioris faciem sese conferens, secundum hanc, nomine v. mammariae internae dicta, (alteram mihi reperire non contigit) decurrit, duo exteriore autem utrumque per costas thoracis superioris primas ad partem externam tendunt, indeque per costas, scapulis tectae, recurrentes ad extremitates anteriores sursum spectantes porriguntur. Sunt igitur hae venae subclaviae harum extremitatum ad utrumque corpus pertinentium, quae modo omnino abnormi sanguinem suum in posteriorem corporis sinistri venam cavam effundunt. Utraque earum venam vertebralem ex internis canalibus vertebralibus provenientem recipit.

Inter corporis dextri venas cavas anteriorem posterioremque vena azygos in cor inosculat, quae ideo tantum simplex exstat. Decursu suo aortam dextram proxime sequitur.

2) In cordis atrium sinistrum quattuor intrant venae pulmonales, quae nihil abnorme ostendunt.

Unde videmus, omnia circuitus magni sanguinis vasa, exceptis arteriis carotidibus venisque jugularibus, ergo vasis praecipue ad caput pertinentibus, duplia exstare, dum vasa pulmonalia numero sint simplicia.

Vasa umbilicalia. Funiculus umbilicalis quum ad locum usque, quo inseritur, abruptus sit, quae vasorum umbilicalium extra corpus ratio fuerit, ut per se intelligitur, latet. In corpore duae arteriae umbilicales, inde a duabus vesicis urinariis exeuntes, ab utroque duorum urachorum latere decurrent. Utrumque hepar venae umbilicalis reliquias praebebat.

Systema nervosum. In cerebro perfecte evoluto atque ad normam formato, id quod exspectari potuit, nusquam duplicitatis indicium appetat. Medulla spinalis ab initio simplex intra atlantem in duas distributa est medullas spinales modo symmetrico evolutas. Quarum medullarum fissurae medianae superiores in simplici medullae initio, angulo acuto, ut simplicem forment fissuram superiorem, conjunguntur. Unde evenit, ut interius utriusque medullae spinalis dimidium nonnisi ad locum, quo ambae coalescant, pertinere videatur, dum dimidia exteriora, intra atlantem alterum alteri sese applicantia eoque modo medullam spinalis simplicem efformantia, sola videntur in cerebrum transgredi.

Nervi vagi, id quod cum cerebro simplici convenit, non reperiuntur nisi duo, qui, ab utroque tracheae latere supra arterias carotides decursum ineuntes, quod spectat ad colli pectorisque organa, ad quae ramos emittunt, modo

prorsus normali sese habent. Hoc tamen mirationem movet, quod, quamquam dimittuntur rami plexusque formantur, nervorum vagorum trunci tamen non, uti solent, dissolvuntur, sed toto cavo pectorali iidem, atque in collo, quin etiam crassiores apparent. Qui trunci in cavo thoracico infra aortarum arcus recurrentes, inde sursum reflexi, pulmonum radices superne transeunt, ac tum ab utroque oesophagi, cui praesunt, latere manentes denique, tum quoque truncorum crassiorum speciem offerentes, ad diaphragma pervenient, idque perforant, tenuibus eo ramulis emissis, quos tamen nisi in n. vago dextro plane cognoscere non licuit. Hoc modo uterque nervorum vagorum trucus in cavum abdominale devenit, ubi ramulis tenuibus in ventriculum missis trunca primarius tamen ad utriusque corporis art. coeliacam tendit, quo facto, eum longius persequi non potuimus. Quae abnormis nervi vagi ratio ut recte dijdicari possit, admonendum est, duos modo nervos sympathicos, in utraque columna vertebrali singulos, reperiri, nec nisi duos nervos phrenicos, secundum utramque cordis faciem lateralem recurrentes, inveniri potuisse, qui utrumque extrinsecus in columnas vertebrales tenderent. Desunt igitur duo nervi sympathici duoque nervi phrenici interiores. Quum ex hoc defectu tum ex peculiari nn. vagorum ad diaphragma abdominisque vasa decursu nobis concludere licet, singulos nn. vagos cum singulis nn. sympatheticis phrenicisque coaluisse, truncorumque nn. vagorum partem in pectore abdomineque recurrentem ex parte maxima, et quidem eo magis, quo longius ad partem posteriorem progrediantur, horum nervorum elementis constare.

Quattuor plexus brachiales et ortu et decursu atque

evolutione normales ad extremitates anteriores ramos emitunt. Nec non nervi, qui in corporum dimidiis posterioribus decurrunt, normam sequuntur.

## CAPUT II.

### ***De monstrorum duplicium ortu in universum.***

Quidquid a solito rerum ordine discrepat, doctrinae quaestionem praebet, ad quam ei sit respondendum. Quod responsum necesse est eo certius esse, quo certior processus normalis cognitio est, quoque accuratiores abnormitatum observationes sunt, ideoque quo major est abnormitatum numerus, quae in observationem veniant. Qua sola ratione seriem quandam adipiscimur, cui, quidquid in exceptione est, adjungamus, tutique praestemur ab imaginationis nostrae excessibus, quae, praesertim in rebus abnormibus interpretandis, quam facile modum egrediatur, satis constat. Quam vim et effectum et mancae normalium vitae processuum cognitiones et imperfecta statum morbosorum contemplatio ad doctrinas pathologicas exhibuerint, hujus disciplinae historia quam certissime nos edocet.

Jam quaeritur, quae nobis incunda sit via, qua monstrositates recte dijdicare et interpretari contingat? Omnia primum ea ingredienda est ratio, ut eas pro aberrationibus a normali evolutionis decursu discedentibus habeamus. Bischoff his verbis utitur: „Missbildungen sind Krankheiten des werdenden Organismus, so wie es solche des gewor-

denen giebt<sup>6)</sup>.“ Itaque monstrositates partem pathologiae de evolutionis processibus constituant, quamobrem earum interpretatio idonea tum demum exspectari potest, quum praecipuis cuiuslibet cognitionis pathologicae conditionibus satis factum fuerit, i. e. quum leges conditionesque vitae et evolutionis normalis satis exploratae erunt. Verumtamen multum abest, ut hunc finem attigerimus. Quamquam enim nostra aetatis embryologia multum attulerit lucis processibus, qui in evolutione normali fiant, tamen observationum, ex quibus embryologia pathologica materiam suam hauriat, nimis exiguum est numerus. Namque, licet contigerit, ut de singulis monstrositatibus formis non medioeris exemplorum copia collecta sit, tamen aliae quaedam formae, praesertim ad monstra duplia, quae vocantur, pertinentes, admodum rarae sunt, atque illa quoque non sunt nisi exempla, formationes jam effectae, quosdam evolutionis abnormis typos nobis praebentes. Quas ut rite intelligamus, quo modo factae sint, cognoscatur oportet; attamen organismi, qui in eo est, ut evolvatur, observatio plerisque in casibus ejus mortem affert. Quodsi nihilosecius contingit, ut, embryorum diversorum diverso evolutionis gradu observationibus inter se comparatis, modus, quo evolutio paullatim fiat, cognoscatur, hoc tamen nisi in evolutione normali succedere non solet. Exceptiones enim nimis sunt rarae, easque exstare, plerumque sero comperitur. Itaque adhuc soli debetur casui, quod scrutatores in ejusmodi exempla inquirere po-

tuere, casusque illi, in quibus obtigit, ut monstrositates, dum formarentur, saltem per nonnulla evolutionis stadia, directo persequi liceret, multo etiam sunt rariores<sup>6)</sup>.

Evidem, si additamentum quoddam ad formarum rarissimarum monstrositatum, nempe monstrorum duplicium, aetiologyam et genesin cognoscendas proferre conabor, jam ab initio haud ignoro, id non caritum esse erroribus iis, quibus quaevis disquisitio ad disciplinas naturales pertinens laboret necesse est, quae observationis exactae fundamento non nitatur. Ubicunque theoria praevalet, ibi conjecturis quoque nimis facile amplum datur spatium. Etiamsi observationes singulas, quae exstant, quam maxime sequendo hypotheses, quantum licuerit, arctis continere limitibus co-nemur, tamen hic ipse conatus, quum tam parca in promptu sit observationum copia, saepe fieri non potest, quin successu careat. Haec vero materiae penuria hypothesisum statuendarum nobis jus suppeditat; nam hae ultimo sunt subsidio, quo, ut ad veritatis cognitionem propius accedamus, nobis sit confugiendum, hae ad veritatem cognoscendam aliiquid conferre possunt, quamquam tantum eo, ut observationi quaedam indicet momenta ad hanc cognitionem gravia.

Ad monstrorum duplicium ortum quod attinet, opinio illa, qua ex duorum embryorum vel germinum in diversis ovis ortorum concretione illa existere putantur, ab J. F. Meckel, posteaque a Bischoff subtilissime est refutata. Jam cau-

5) Entwicklungsgeschichte, mit besonderer Berücksichtigung der Missbildungen in Wagner's Handwörterbuch der Physiologie. Vol. I. p. 894.

6) Quod equidem sciām, solis Baer, Valentini temporeque recentissimo Quatrefages haec oblata est occasio, quorum scrutatorum observations, infra locus erit, quo afferamus.

sas, ex parte majore a Meckel et Bischoff prolatas, quibus theoria ista de concretione redarguatur, afferre liceat<sup>7</sup>).

1. Omnes duplicitates, inde a phalangum numero praeter norman aucto usque ad duorum monstrorum uno tantum puncto cohaerentium efformationem, seriem unam et continuam constituunt. Cujus momenti doctrina de concretione respectum non habet. Quae dum in duplicitatibus longius proiectis concretionem cum deficiente formandi facultate statuit, facere non potest, quin ad explicandam minorum originem contrarium, nempe formandi facultatem nimiam, ponat.

2. Semper in monstris duplicibus non cohaerent nisi organa, systemata, partes cognomines.

3. Monstrorum duplichum fere semper magna est similitudo et congruentia.

4. Monstra duplia saepius ab una eademque matre eduntur, et crebro hereditariae sunt deformitates.

5. Nullo evolutionis tempore mechanica embryorum concretio animo singi potest. Namque, amnia chorique cum liquoribus, quos continent, quum seclusa sint, quivis directus embryorum inter se contactus impeditur. Quae vesicae quum ab initio vasis careant, eas, septis evanescenibus, coalescere, perquam vero est absimile<sup>8</sup>). Tempore posteriore quamvis vasa sanguifera haud desint. tamen,

---

7) Bischoff I. I. 909.

8) Casus illi, in quibus gemelli communibus utantur choria amnioque, ut infra apparebit, alio modo et simplicius et melius explicari queunt.

quum embryorum evolutio tantos jam fecerit progressus, quo modo, quaequo, singi potuerit, embrya, jam omni ex parte duplia, in unum magis minusve simplex coalescere? Quo modo hoc, ut exemplo utamur, fieri possit, ut utrumque embryorum dimidium capitis parte privetur, nisi aut utroque pereunte aut aliquo concretionis vestigio in ossibus vasisque ac nervis etc. conspicuo? Unica, quae ejusmodi concretionis ansam praebere queat, causa in pressione aliquo momento effecta possit reposita esse. Fuerunt sane casus, in quibus hacc pressio maxima fuerit et gemellorum alter, evolutione retardata, ab altero ob spatii angustias compressus ac paene complanatus fuerit. At nihilominus nunquam in hujusmodi casibus ullum vel exiguum concretionis vestigium est observatum, sed e contrario foetus compressus ac saepe exsiccatus, nisi jam ante abortu expulsus est, brevi post geminum alterum, velamentis plerumque integris, nascitur<sup>9</sup>).

Quae quum ita sint, fieri non potuit, quin concretio ad periodum priorem referretur, quo tempore embrii evolutio modo inciperet vel prima areae proliferae (Fruchthof) initia fierent; quin etiam fuerunt, qui ova non secundata interesse coalescere vellent. Attamen, zona pellucida quum sit membrana ex magnitudinis ovi comparatione valde crassa solidaque eademque structurae expers, quumque pressus externus statui nequeat, qui ova bene munita et molli in strato posita afficere possit, quumque ovum ipsum, si cum spatii ad ejus evolutionem destinati magnitudine com-

---

9) H. Meckel v. H. Ueber die Verhältnisse des Geschlechts etc. in: Müller's Archiv, 1850. p. 253.

paraveris, tam parvum sit, plura habemus momenta, quae nos aequi vetent concretionem tempore tam maturo animo fingere ac periodo posteriore. Zona priusquam evanescat, ad ejus faciem internam exterius vesicae germinativae stratum, ex quo postea chorion futurum est, jam sese applicuit; embryonque quum jam amnio sit involutum, rerum conditiones, quibus concretionem prohiberi supra diximus. jam exstant.

Etsi, ad mammalia quod spectat, hae dubitationes tolli nequeant, tamen Dr. B. Schultze<sup>10)</sup>, quod ad avium ova attineat, duo vitella inter se coalesceare coque monstra duplia exoriri posse arbitratur, quoniam ovorum avium membrana vitellina ex magnitudinis vitelli comparatione insignem in modum tenuior sit atque tenerior, quam ovorum mammalium zona, quodque duo avium vitella uni ovi testae inclusa semper pressionem quandam subeant. Attamen pressus externus ipsa testae duritie arectur, pressusque internus, mutua vitellorum inter se compressione effectus, pendere non potuerit nisi ex spatii putamini inclusi angustia. Testa autem postrema formatur vitellique dimensionibus jam existantibus stricte sese accommodat. Porro admonendum est, avium vitellum luteum ex cellulis compositum cum membrana, quae illud circumdat, cellulis consistente, mammalium vitello, quod satis constat fluidum lentum granosumque esse, atque zonae structura carenti prorsus non respondere. Mammalium ovulo re vera cicatricula, quam vocant, (Hahnentritt) respondet, quae quidem fluido quodam, mammalium vitello omnino

10) B. Schultze: Ueber anomale Duplicität der Axenorgane in: Virchow's Archiv, 1854. p. 486.

simili, vesiculam germinativam continent, constat, quin etiam nuperrime H. Meckel eam zona nunc magis mucosa mollique nunc solida circumdatam esse contendit. Solum hoc vitellum formativum (Bildungsdotter, auctore Reichert) sulcis fatiscit, materiamque primis embryi initis construendis praebet. Quodsi causa, ex qua monstra duplia avium repeatantur, in vitellorum concretione posita esse creditur, haec concretio ad gravissimam hanc partem, quae proprie ovulum avium est, referatur oportet. Verumtamen avium ovulum, molli, quod vitellum luteum praebet, strato immersum, nescio an magis etiam, quam mammalium, a pressu tutum praestetur, quumque cicatricula semper in vitelli lutei peripheria testam versus sit posita et suo utrumque vitellum album cingatur, non minus mutuus cicatricularum contactus impeditur. Qua de re vitellorum luteorum concretio compressione mutua effecta, siquidem fieri posset, nihil aliud foret nisi copiae nutrimentorum utriusque embryo destinatae conjunctio ideoque nullo modo pro germinum concretione haberi posset. Una in testa ut duo reperiantur vitella lutea cum cicatriculis suis, non ita raro evenit, nec non experientia docuit, duos interdum pullos ex uno prodire ovi putamine, quas res arecto inter se contineri nexu, certum est. B. Schultze et H. Meckel<sup>11)</sup>, qui monstrorum duplicium ortum e duorum ovolorum ex uno folliculo Graafiano oriundorum concretione repetit, ad sententiam suam confirmandam observatione quadam ab Hanow<sup>12)</sup> prolata

11) I. l. pg. 264.

12) Hanow, Seltenheiten der Natur. 1732. pag. 312. Quod doleo, librum ab Hanow scriptum ipse adire non potui, quamobrem et hunc locum et omnia hoc de easu tradita ex laudata jam commentatione Henrici Meckelii. pag. 264 desumpsi.

innituntur. Cui sex ova, ab eadem gallina parta, fuerant allata, quorum unumquodque, luce translucente, duo puncta germinativa proxime inter se posita ostendit, et monstrum duplex duobus capitibus, duabus alis pedibusque tribus instructum edidit. Unde *Hanow* conclusionem effecit, singulis ovis bina infuisse vitella lutea; quam conclusionem tamen dubium non est pro falsa habendam esse. Etenim ex magna duarum cicatricularum inter se propinquitate quae, si cicatriculae insedissent duobus vitelli lutei globis inter se disjunctis, sane extare nequit, potius conjici potuerit, duas cicatriculas ad unum idemque vitellum luteum pertinuisse. Cujus modi vitella jam *Fabricius* ab *Aquapendente* observavit<sup>13)</sup>. Haec punctorum germinativorum in vitello luteo duplicitas, id quod infra ostendam, certe formatione primitiva, neque vero posteriore duorum vitellorum primitus omnino disparatorum concretione, nititur. Per se autem, quantum mea fert opinio, ne necesse quidem est, hujusmodi ova monstrorum duplicitum ortui ansam dare. Duea cicatriculae, dummodo vitelli lutei locis quodammodo inter se distantibus positae sint, suas utraque seorsus conficit metamorphoses, eoque gemelli nascentur. Tantum, duabus cicatriculis, uti in casu ab *Hanow* prolato res sese habuit, proxime altera alteri sitis et in confinio inter se tangentibus, ea affertur conditio, ex qua secundum meam sententiam infra exponendam verisimile sit monstrorum duplicitum ortum dependere.

Quas difficultates opinio de duorum ovulorum vel embryo-

rum inter se concretione ad monstrorum duplicitum genesin explanandam proposita movit, eae theoriam alteram priori prorsus contrariam provocarunt, qua quaevis duplicitas ex germine uno, quod, vi aliqua mechanica agente, diffindatur, quo facto, duo dimidia sic exorta separatim magis minusve perficiantur, originem capere creditur. Qua theoria quamvis observatio illa, quae monstra duplia semper organis systematisque cognominibus inter se cohaerere docet, quam simplicissime explicetur, tamen, me judice, ex parte altera plurimae offeruntur difficultates, ob quas doctrinae illius veritas valde videatur in dubitationem vocanda esse. Causae gravissimae autem, quibus adducor, ut huic de diffissione, ex qua monstra duplia exoriantur, opinioni adverser. potissimum hae sunt.

Quaeriter enim, quonam tempore hanc diffissionem fieri credamus? Quam in embryo eo usque evoluto, ut omnia primaria corporis systemata jam exsistant, non magis evenire, quam in primis embryi initii intra aream proliferam, pro certo putandum est. Namque, licet efformatus non sit nisi sulcus primitivus, tamen tum quoque haud exigua areae proliferae efformatio initium cepit, ut capitis pelvisque primordia, dorsi et abdominis laminae jam differant. Si quis, ut exemplo utar, media areac proliferae longitudine diffissa, margines fissurae, jam primordia organorum axis formaturos, in duas laminas viscerales novas commutari crediderit, dum in mediis laminis visceralibus primitivis duo nova organorum axis primordia sese evolvant, ita sane ab evolutionis viribus nimium quiddam expostulari videatur. Itaque tempus, quo diffissio eveniat, in periodum etiam maturiorem referendum fuerit, et quidem in periodum illam, qua prima areae proli-

13) *Opera omnia anatomica et physiologica*. Lipsiae 1687.  
p. 13.

ferae initia non sint nisi cellulæ in uno vesicae germinative, quæ ex cellis sulcorum formatione ortis modo formatæ sint (Furchungszellen), loco accumulatae. Mibi, etiamsi haec præsumiscimus, ob causas statim proponendas diffissio tamen non videtur statuenda esse.

4) Fieri non potest, ut vis mechanica, præsertim in mammalibus, ad ovula minima, et partibus mollibus et liquoribus circumdata, fluidaque continentia effectum adeo directum exhibeat, ut vesicae germinative continuas, et haec quidem sola, zona non mutata, dirimatur. Nemini adhuc, ut taceam de superstitiosis priorum temporum opinionibus, contigit, ut vel in medio monstrorum duplicium numero vim aliquam mechanicam, eni mater antea exposita fuisset, egiisse demonstraret. At, etsi concedamus, fieri posse, ut germen aliquo modo diffindatur, necesse est, quum organa omnia numero sint duplia, hanc diffissionem ad omnia pariter primordiorum embryi strata valere. Verumtamen tam violenta ovuli laesio, præsertim parti ejus gravissimæ, ex qua embryo sit futurum, illata, quantum verisimile est, ovulum pessumdet. E contrario ista de diffissione theoria ovulo tam violenter affecto etiam viam vitalem formandique vires abundantes attribuit, quoniam utrumque dimidiorum ex diffissione factorum totum quiddam efficit et saepe quidem modo symmetrico, justaque cum corporis parte simplici ratione amplius efformatur.

3. Ut doctrinae de concretione, item theoriae de diffissione illa contradicit observatio, quod tam crebro monstræ duplia una eademque matre saepius nascuntur, quodque haec monstrositas est hereditaria. Cujus observationis exemplum evidentissimum casus ab Hanow traditus afferit.

4. Quaedam monstrorum duplicium exempla jam primis eorum conformatio[n]is stadiis sunt observata, nunquam tamen aut rimâ aut fissurâ vel in area prolifera inter duo ejus dimidia vel in macula embryonali animadversâ, quamvis talem fissuram ex marginibus stratorum complurium illâ effectis plane cognosci necesse sit. Observatores tantum referunt, se in una vesica germinativa aut aream proliferam magis minusve profunde furcae ad instar direntam aut duas areas proli[fer]as lineâ rectâ positas animadvertisse, finibus aut anterioribus aut posterioribus inter se contingentes.

5. Opinio, qua embryi primordia diffindi creduntur, si eam longius persequare, ad complures nos deducit conclusiones, ad ulteriores evolutionis processus pertinentes, quibus ipsa haud parum labefactetur. Omnium primum admoneam oportet, embryo ipsum non esse nisi vesicae germinative partem, ejusque peripheriam normalibus rerum conditionibus ubique continue, nullis limitibus certis, in vesicae germinative planitiem transire, nec non symmetricam dimidiorem lateralium embryi extensionem atque evolutionem per omnia strata, saltem ab initio, in eadem hac fieri planicie, in qua etiam prima vasorum sanguiferorum embryo nutrientium distributio appareat. Qui cum vesica germinativa connexus sensim ac paullatim, embryo constrictione a vitello se disjungente, magis magisque minuitur, ac denique omnino cessat. Itaque hic connexus ad totam embryi efformationem, ideoque ad omnes processus a normali ejus evolutione pendentes, quales sunt laminarum visceralium incrassatio, earum incurvatio et conjunctio ac denique nexus ipsius dissolutio, omnino est necessarius. Quodsi maculam embryonalem duoque dimidia uno tantum loco etiamtum cohaerentia diffissione

dirimi animo finxeris, postquam in utroque dimidio ita exorto sulcus primitivus exstitit, qui duo sulci in parte nondum diffissa in sulcum unum coeunt, ab utroque sulcorum illorum atque centralis nervorum systematis primordiorum, his conterminorum, latere duae efformantur laminae viscerales, ergo in universum laminac quattuor, quarum duae extiores, primus ad talem evolutionem destinatae, in vesicae germinativae planitatem continuantur, duae interiores autem, primo mediam maculam embryonalem versus sitae, marginibus suis fissuram illarum discessu formatam limitant, quae apertura ex primitivo ovuli cavo directe in vesicae vitellinae cavum perducit. Ergo laminae viscerales internae secundum theoriam de diffissione in membranam germinativam non transiunt. Nihilosecius tamen illae non minus, quam externae, evolvuntur, quod si quando non evenit, hujus rei causa in eo est posita, quod, quum altera alteri sit proxima, facile accedit, ut altera alterius conformatiōnē impeditat<sup>14)</sup>. At, formationis conditionibus tam diversis, ejusmodi aequabilitatem existere num praesumere possumus? Laminas viscerales, marginibus suis libere in vitelli massam prominentes, estne credibile, pariter evolvi extendique ac curvari posse, atque laminas externas, et cum his, ipsas a membrana germinativa sese non constringendo disjungentes, conjunctionem normalē inire? Porro necesse foret, amnii jam multo ante hanc conjunctionem formati cavum per fissuram cum corporis monstri cavo, et, quum hoc eavum non sit nisi cavi vitelli pars,

14) Ubi, axibus longius inter se distantibus, hoc evolutionis impedimentum non exstat, ibi interiora corporis dimidia aequa, ut exteriora, efformantur, id quod etiam in monstrō a me perquisito de duabus posterioribus corporis partibus observare licuit.

per ductum vitello-intestinalem etiam cum vitelli cavo communicare.

At enim germen diffissum esse, illa observatio coarguere videtur, quod monstrā duplia, nulla exceptione, ejusdem sunt sexus. Verumtamen idem, quantum experientia docuit, etiam sine ulla exceptione de gemellis, quibus communia sunt velamenta, dici potest<sup>15)</sup>. Quod jam Hunter cognoverat<sup>16)</sup>. Itaque, hos quoque gemellos, nisi recurrere placuerit ad opinionem istam, qua corum velamenta inter se coalescere putantur, diffissione germinis, eaque totali, existere, necesse foret statui. Quas de diffissione partiali protulimus dubitationes, eas omnes per se intelligitur magis etiam de totali moveri posse. Quamvis pro certo habeatur, monstrā duplia gemellosque iisdem inclusos velamentis formationes esse inter se cognatas, tamen ipsa haec cognationes adducit, ut utrorumque originem modo simpliciori, qui evolutionis legibus magis, quam theoria de diffissione, congruat, explanare conemur. Antequam vero ad hanc monstrorum duplicium explicandorum rationem, quam observationibus nonnullis, quamvis majore ex parte fortuitis ac saepe neglectis, confirmari posse confido, transeam, superstes, ut de duabus praeterea theoriis mentionem injiciam, quarum alterā duplicates propaginum ex area prolifera for-

15) Ex velamentis communibus certum est etiam gemellos non ita raros, tam inter se similes, ut discerni nequeant, prodire, quorum pariter semper idem est sexus. Gemelli autem sexus diversi vix plus prae se ferunt similitudinis, quam omnino eorundem parentum liberi solent.

16) H. Meckel ab H. I. I. pag. 249.

matione (Sprossenbildung) explicantur, altera eas ex vitello praeter normam magno repetit.

Quarum doctrinarum prior areae proliferae facultatem adscribit, similiter atque quaedam inferiorum ordinum animalia propagentur, ex semet ipsa alicubi ramum emittendi, qui in columnam vertebralem etc. transformetur. Attamen objici potuerit in omni propaginum formatione ramum emisum nonnullo demum tempore, aliquot diebus elapsis, corporis gignentis magnitudinem plenamque efformationem attingere. Baer secundum observationes crebras, tum a se ipso tum ab aliis institutas, etiam in polypo, largis nutrimentis praebitis, complures dies transigi, priusquam propagines procrescentes illam magnitudinem assequantur, testatur<sup>17)</sup>. Attamen et Baer et Valentin in piscium ovis areas proliferas bifurcatas viderunt, easque paullatim ad monstra duplia conformari observare potuerunt. Quae ovula viri docti maturime invenerant, quum area prolifera, quantum ex ejus evolutionis stadio concludere licuit, non erat amplius quam aliquot horarum; nihilominus duo areae proliferae rami tunc jam exstabant, parique longitudine et eodem erant evolutionis gradu. Certe, ramorum alterum sensim efformari, id quod in propaginum formatione necesse est, ab illis quidem observatoribus compertum non est. Quodsi interdum, praesertim stadiis posterioribus, manca rami alterius formatio est observata, ejus rei causa tantummodo in illius evolutione brevi impedita vel, uti Baer semel animadvertisit, in ejus formatione jam primitus minus perfecta quaerenda est<sup>18)</sup>.

17) Baer: Ueber doppelleibige Missbildungen. Mem. de l'acad. de St. Petersb. Sixième serie. Tom. IV. p. 104.

18) Ibid. p. 97.

Baer haec verba profert: „Was gäbe uns das Recht ein solches Hervorsprossen aus der Wirbelsaite anzunehmen, die nur da zu sein scheint, um wie ein lebendiges Mass der doppelsymmetrischen Entwicklung der Wirbelthiere als Anhaltspunkt zu dienen.“

Monstrorum dupicum originem si ex vitelli magnitudine abnormi, ex ejus hypertrophia, repetieris, haec rei contemplandae ratio eo commendatur commodo, quod ita omnes, quae observantur, duplicitatis formae, inde ab organismi axis duplicitate ad unius digiti duplicitatem, in unam continuamque redigi possunt seriem. Etenim ex materia formatrice abundantae auctaque formandi facultate omnes duplicitatum formae deduci potuerint. Quae materiae formaticis abundantia si, vitelli ipsius hypertrophia effecta, ideo ab ipso initio exstat, duplicitatem ad totum corpus pertinere necesse est. Sin ista abundantia postea, organismi axis fundamentis jam jactis, apparet, tantum partium nondum formatarum, quarum modo germina adsint, ergo praesertim extremitatum, duplicitates exsistere possunt. Attamen huic doctrinae objiciam, vitellum praeter normam magnum, si revera reperiatur, per se nullo modo ovi unitatem, quae organismi futuri unitatem includat, tollere. Qua de causa, me judice, anomala vitelli magnitudo efficere non possit, nisi ut ex eo vesica germinativa solito major, areae proliferae magnitudine ei respondente, exsistat. Observatio ab H. Meckel<sup>19)</sup> commemorata, qua in duabus percae fluviatilis ovis monstrosis, in quae Baer<sup>20)</sup> inquisivit, area prolifera fere omnino

19) I. I. p. 86.

20) I. I. p. 262 sq.

duplex vesicae germinativae permagnae insidere cernebatur, quemadmodum demonstrare conabor, ratione alia, neque vero primaria vitelli hypertrophia, explicari potest.

Ceterum haec doctrina, quam ultimam attuli, ut mihi persuasum est, duo continet momenta vera, quippe quae et in monstris duplicibus primordia embryorum duplicita uniuersesse ovo statuat, idque ita, ut haec duplicitas ab ipso initio ac simul appareat, et ejus rei causam in primaria ovi abnormitate positam esse censeat, quamvis concedere nequeam, hanc abnormitatem vitelli hypertrophia consistere.

Jam saeculo proximo superiore Duverney<sup>21)</sup> et Winslow<sup>22)</sup> ovuli formationem a norma discedentem monstrorum duplichum causa habuerunt, quorum sententiam et Haller<sup>23)</sup> et aetate recentissima Baer amplexi sunt. Quorum posterior, quo loco embryon gallinaceum duplex describit, conjecturam profert, eo in casu arcum proliferam primitus duplicem adfuisse<sup>24)</sup>.

Quae sententia de primordiorum embrii formatione ab ipso initio in area prolifera dupli a B. Schultze in ejus commentatione de anomala organorum axis duplicitate conscripta, de qua supra mentionem intulimus, et certissime proliata et accuratissime de omnibus monstrorum duplichum formis exposita est. Qui tres duplichum embrii initiorum formas fundamentales statuit, quarum primam

21) Mem. de l'acad. des sciences 1706 (Observations de deux joints ensemble).

22) Ibid. 1743 (remarques sur les monstres).

23) De monstribus III. p. 152.

24) Baer: Ueber einen Doppelembryo vom Huhn in: Meckel's Archiv 1827. p. 582.

anteriorem, alteram posteriorem, tertiam parallelam duplicitatem appellat. Quae formae fundamentales typis a theoriae de dissessione sectatoribus positis stricte respondent, quos typos Leuckart<sup>25)</sup> dissisionem anteriorem, posteriorem, simulque anteriorem et posteriorem nominavit, eo tamen intercedente discriminé, quod Schultze has formas primitivas esse judicat. Duplicitatis parallelac nomine Schultze duorum initiorum embryonalium, omnino perfectorum, per totam longitudinem prope inter se positorum formationem dicit, ergo omnium illarum duplicitatis formarum primordia, in quibus duo corporum axes non confundantur in unum axis finem simplicem. Quo verbi causa gemelli pectoribus abdominibusque, et gemelli solis abdominibus cohaerentes referendi sunt<sup>26)</sup>. Porro Schultze

25) De monstris eorumque causis et ortu. Dissertatio inaug. Gottingae 1845.

26) Nomen duplicitatis parallelae, quo tertia dicitur forma fundamentalis, evidenter rectum non esse existim; videtur enim aptius esse, eam duplicitatem totalem unnapari, quoniam id maxime refert, ut his in formis axis organa tota longitudine sua duplicita sint, ac modo secundaria laminarum visceralium concretio extiterit, dum in utraque reliquarum formarum primaria subest simplicis axium finis, aut anterioris aut posterioris, formatio. Qua in re nihil interest, utrum organa primitiva prorsus duplicita parallelum inter se teneant situm, quo, iis inter se propinquissimis, intima per totam longitudinem concretio efficiatur necesse est (hemipage Geoffroy), illis longius distantibus, prout diversum est intervallum, aut soleae laminae pectorales abdominalesque aut hae posteriores unae cum respondentibus organismi alterius laminis coalescent (ectopage, sternopage, xiphopage Geoffroy), an organa primitiva aut angulo majore minoreve inter se discedentia aut etiam linea omnino recta posita solis capitis aut pelvis laminis visceribus inter se contingant, qua re ex parte altera monstra ossibus parietalibus, ossibus frontalibus etc. coalescent, ex altera concre-

modo valde dilucido coarguit, quemadmodum tribus his formis fundamentalibus statutis omnes monstrorum duplicium formae simplicissime inde deduci queant, quoniam earum diversitates praecipue a duplicium axis partium longitudine, deinde ab anguli, quo hae partes inter se discedant, magnitudine et, duplicitate parallela, maxime a majore minoreve axium parallelorum distantia pendeant. Quo acutior in duabus formis fundamentalibus primis angulus est, eo minus interiora embryorum dimidia lateralia evolvi possunt, eoque maiore extensione secundaria fit concretio. Ex parte altera angulus ad rectum usque augeri potest, qua re efficitur, ut duplices corporis partes non turbatae evolvantur et seorsus suum quaeque corporis cavum constituent. Axium primordiis parallelis, si eorum distantia permagna est, viscerales duorum organorum laminae, dum evolvuntur, altera alteram non tangunt, ideoque quum inter se non concrescant, utrumque embryon, separatim a communi vesica germinativa constringendo disjungitur, gemellique communibus inclusi velamentis nascuntur, quorum suo uterque ductu vittello-intestinali cum simplici vesica umbilicali communicet. Itaque, saltem respectu theoretico, intimus intercedit inter monstra duplia gemellosque iisdem velamentis inclusos connexus.

---

tiones, quas **Geoffroy** pygopagas nominat (duabus duorum organismorum pelvibus inter se coalitis), existunt. **Schultze**, in forma fundamentali tertia parallela organorum axis primordia exstare ratus, facere non potest, quin monstrorum duplicium formas modo membratas inter extremas duplicitatis anterioris posteriorisque formas repusat, quamquam, licet areae proliferae locis respondentibus confundantur, propter axium formationem omnino separatam harum formarum fundamentalium notioni ab ipso positae parum congruunt.

Cujusque harum trium formarum fundamentalium exempla ex primis jam efformationis periodis nonnulla afferri possunt. Namque ovula percae fluviatilis, areis proliferis chordisque et sulcis primitivis furcarum ad instar disjunctis, Baer<sup>27)</sup>, esocis **Valentin**<sup>28)</sup> observavit. Areas proliferas duplices, linea recta positas, ergo aut capitibus aut pelvibus inter se contingentes, Baer<sup>29)</sup> in ovulo gallinaceo, Reichenhert tum in ovulo gallinaceo<sup>30)</sup> tum in astaco fluviatili viderunt. Ex axium initii primitus duplicibus, auctore **Schultze**, etiam pleraque monstra duplia parasitica, nec non exempla foetus in foetu, ut dicitur, repeti possunt, et quidem priora ex axis alterius evolutione brevi impedita<sup>31)</sup>, posteriora, siquidem axium initia prorsus duplicita et embryi evolutionio pariter jam mature retardata statuantur, ex organismi validioris laminis visceralibus paullatim ultra alterius rudimenta procrescentibus, quo fiat, ut haec rudimenta, laminis visceralibus inter se junctis, in cavum corporis foetus magis evoluti includantur. Evidem huic originis monstrorum duplicium explicationi subscribo, quippe quae non, aeque ac theoriae de concretione et diffissione, ulla de ulterioribus evolutionis processibus afferre videatur difficultates. Attamen

---

27) Ueber doppelgebige Missgeburten. pg. 91 sq.

28) Beitrag zur Entwicklungsgeschichte der Doppelmissgebarten in Vierordt's Archiv für physiologische Heilkunde 1851. p. 6. sq.

29) Meckel's Archiv 1827.

30) Vossische Zeitung vom 10. Juli 1852.

31) **Valentin** casum quandam observavit, in quo ex area prolifera primitus bifurcata, evolutione rami alterius sensim retardata, monstrum duplex parasiticum exstitit. J. I.

haec quoque explicatio, pariter atque illae, non est nisi hypothesis, quoad contigerit, ut causae eruantur, ex quibus haec embryorum primordia simul et primitus duplia dependant. Quodsi hunc in finem abnormem ovuli indolem statuerim, certum est, hanc novam esse conjecturam, quae tamen observatione jam saepius memorata, qua monstrata duplia saepius una eademque matre nasci et haec monstritas hereditaria esse cernitur, haud parum confirmatur, ad quam tamen rite coarguendam hujus ovuli abnormalitatis naturam cognosci, ac demonstrari opus est, eam cum monstris duplicitibus nexus causali contineri. Quamvis multum absit, ut mihi videar his postulatis satisfactus esse, tamen in observationibus, quae adhuc exstant, nonnulla insunt haud parvi momenti admicula, in quibus, qui peculiarem ovuli indolem primariam pro monstrorum duplicium causa habendam esse judicaverit, niti possit.

Omnium primum admoneo, non raro ovula indolis abnormis, et inter cetera quidem ovula vitello certe duplii instructa, in observationem venisse. Cujus modi ovula Wharton Jones<sup>32)</sup>, Barry<sup>33)</sup>, Bischoff<sup>34)</sup>, tum secundatum non secundata, nec non Davaine<sup>35)</sup>, ac denique aetate recentissima Quatrefages<sup>36)</sup> viderunt. Davaine palu-

32) London med. Gaz. 1835 apud Bischoff, Entwickelungsgeschichte der Säugetiere und des Menschen. p. 150.

33) Lond. and Edinb. phil. Mag. S. III. Vol. XIV. Nr. 92. Supplm. July 1839. p. 4963.

34) Bischoff I. I. p. 17 et p. 150, porro idem: Ueber Missbildungen. p. 911.

35) Canstatt's Jahresbericht 1850. Vol. III. p. 3. A Virchow relatum est.

36) Gaz. med. de Paris, Nr. 12, 24. Mars 1855.

dinae viviparae ovulum perfecte evolutum, vitello duplii praeditum, atque duo planorbis corneac ovula observavit, quorum alterum septo in duas divisum esset portiones, suum quamque embryon satis evolutum continentis, alterum, recens partum, duo ostenderet vitella, quorum evolutionem vir doctus complures per dies persequi potuit. Quatrefages, viro celeberrimo, occasio data est ovuli piscis vitello duplii duos per menses observandi, ex quo monstrum duplex, abdominalibus concretis, prodiit, quod etiamtum vivum academie Parisinae proposuit. Quae duorum, quos postremos commemoravimus, scrutatorum observationes idcirco maximi momenti sunt, quod duo vitella et vivendi et se evolvendi facultate uti coarguunt, neque suspicioni, quae facile moveatur, ovula a prioribus observatoribus visa, vitello duplii instructa, in eo fuisse, ut perirent, locum relinquunt.

In tali vitelli duplicitate, me judice, causa ortus gemellorum communibus inclusorum velamentis ac monstrorum duplicium quaerenda est, idque, quoniam eorum evolutio, vitello duplii praesumptio, et facile explicari potest et vitelli duplicitatem ipsam ex ovuli genesi repetere licet. Ovulorum formationem in omnibus animalium speciebus in universum eandem esse, disquisitionibus accuratissimis omni exemtum est dubitatione<sup>37)</sup>. Primo enim in folliculo primordiali vesicula germinativa efformatur, quae brevi post, praecipitato ex fluidis folliculo contentis facto, massa quadam lenta granosaque et albuminacea, nempe vitello, circumdatur, ac denique, strato externo hujus vitelli simpliciter condensato, mem-

37) R. Leuckart, Die Zeugung in: Wagner's Handwörterbuch der Phys. p. 783 sq.

brana vitellina homogenea, zona, exoritur. Itaque vesicula germinativa ovuli centrum est et, maturime formata, vel attractione sua vel alia vi ipsi insita, haud cognita, efficit, ut blastema antea non organizatum ad organismi elementarii per se existantis separatique formationem conglobetur. Lex est, ut in singulis folliculis primordialibus tantum singulae exoriantur vesiculae germinativae, ideoque ex singulis folliculis Graafianis tantum singula prodire possint ovula. Haec regula tamen exceptionibus, quamquam raris, non caret. Namque, in uno folliculo Graafiano duo ovula evoluta esse, Baer<sup>38)</sup>, Bidder<sup>39)</sup> et Bischoff<sup>40)</sup>, ac postremus quidem in tribus canibus, observarunt. In ejusmodi casibus, id quod verisimile est ex abnormi glandularum germen formantium actione dependere, necesse est, in uno folliculo primordiali duae exstiterint vesiculae germinativae, ex quibus duorum vitellorum, ipsas cingentium atque ad externa versus seorsus limitatorum, centra exstiterint. Possumus autem sane animo fingere, spatio verbi causa angustiore, massas vitellinas ad utramque vesiculam germinativam praecipitatas inter se in contactum venire, quin etiam ex parte confundi, ita ut limites exteriora versus utrique vitello communes sint, utrique una communis sit zona. Quo modo ovula existant, quae, quamvis per speciem externam simplicia videantur, re vera tamen duplia sint. Quorum simplicitas non exstat nisi per speciem, quoniam membrana vitellina non est ovuli pars peculiaris.

38) De ovi mammalium et hominis genesi. Lipsiae 1827. p. 18.

39) Müller's Archiv 1842. p. 87.

40) Entwicklung des Hundees. pp. 64, 78 et 94.

Est enim, geneseos respectu habitu, tantum pro vitelli parte habenda, neque in ovuli ipsius metamorphosibus partes suscipit, sed ejus muneri satisfactum est, simul atque contentum ejus adeo est evolutum, ut illa deficiente integritatem suam a noxis externis munire possit, quod quum primum factum est, membrana illa evanescit<sup>41)</sup>.

Hoc modo illorum ovulorum, in quibus duplex observatum est vitellum, explanari potest origo. Schultze<sup>42)</sup>, qui et ipse monstrorum duplicitum causam in ovulorum ovarii abnormitate reponit, ad observationem, ipso teste, non ita raram provocat, qua duae vesiculae germinativae in uno ovulo cernantur. Et quidem, uti ex embryorum in animalibus ordinum inferiorum formatione concludit, aream proliferam eo superficie vitelli loco efformari contendit, quo ei antea vesicula germinativa adjacuerit. Ergo, ubi in uno vitello duae adsint vesiculae germinativae, ibi duas exorituras esse areas proliferas. Evidem tam directam inter embryi formationem et vesiculam germinativam rationem intercedere haud judicaverim; nam haec, ut primum omnino maturuit, ex toto evanescit, ac partes suas, quae tantum ad ovuli evolutionem et massae vitellinae attractionem pertinet, explevit, jamque centris aliis, quae ad vitelli mutationes jam sequentes efficiendas valcent, locum cedit. Vesicula

41) Quod in avium ovulo membrana vitellina proprie sic dicta non reperitur, ejus rei causa in eo videtur posita, quod, quum vitellum formativum vitello nutritivo, quod dicitur, tuto immersum sit atque tum lenta illius indole tum hujus natura cellulosa limes inter utrumque, qui sufficiat, exstet, talis ope membranae disparatio fortasse non sit tam necessaria.

42) I. l. 489.

germinativa igitur, si quando duplex invenitur, mea opinione ad monstrorum duplicium explicationem tantum ea est dignitate, quod inde, convenienter ad ovulorum genesin, vitellum ab initio duplex esse suspicari licet. Itaque iis in casibus, in quibus vitelli duplicitas, massis utrisque intime inter se positis, observationem fugiat, ea ex vesiculis germinativis duplicitibus, quae exstant, colligi potuerit.

Quod attinet ad posteriores hujus modi ovulorum mutationes, haec fere statuere possumus.

1) Sulcorum formatione (Furchungsprocess) finita, massae cellulosa ex utroque vitello ortae duos constituere possunt cellularum acervos, qui seorsus evolvantur, idoneos, ideoque ex materia duorum organismorum ortui sufficiente in una zona pellucida duae vesicae germinativae inter se disjunctae cum sua utraque area prolifera evolvantur.

2) Animo singi possit, illas cellulas ex sulcorum formatione ortas in unum acervum confundi, ex quo inde, cellularis maturissimis ad ovuli parietem coalitis, una existat vesica germinativa, in cuius pariete interno tamen nota illa cellularum caterva, ex qua embryon ipsum construatur, macula embryonalis dicta, non simpliciter sed, id quod materiae formatrici dupli respondet, dupliciter evolvatur.

3) Denique, exorta sic vesica germinativa simplici, cellularum acervi maculam embryonalem constituentes ita deponi potuerint, ut eorum pars major minorve in massam intermedium cellularum catervas conjungentem confluat.

Ovuli, quod duo contineat vitella, cavitatem certum est solito majorem esse. Quodsi una tantum vesica germinativa ex duobus orta vitellis cavi parietem intus vestit, haec quoque magnitudinis erit insolitae. Hoc modo mirabilis vesicae

vitellinae magnitudo a Baer observata explicari possit, nulla vitelli simplicis hypertrophia posita.

Primo evolutionis modo gemelli velamentis communibus inclusi exsistere credantur, qui, ex disjunctis vesicis germinativis orti, posterioribus quoque stadiis separatas vesicas umbilicales offerant necesse est. In casu altero etiam gemelli, at ambo in una eademque vesica germinativa, exorientantur, qui, disjunctione a vitello finita, suo uterque ductu vitello-intestinali cum communi vesica umbilicali communicent. Hoc in casu, si duae maculae embryonales altera proxime alteram depositae fuerint, chordae quidem sulcique primitivi, omnino axis organa, seorsus efformentur, dum utriusque embryi laminae viscerales, priusquam separatim coalescant, paullatim adactae, brevi concurrant atque extensione diversa, quae a primitiva duorum embryorum inter se positione pendeat, concrescant. Ergo illae monstrorum duplicium oriantur formae, quas nulla axium parte simplici duplicates totales appellavi. — Denique materia, ex qua embryon construatur, in maculam embryonalem confusam accumulata, quae macula in duo excurrat crura separata, embryorum primordiis indifferentibus, hac forma praeditis, differentiam ineuntibus, causa afferatur ortus primitivi monstrorum duplicium axe ex parte simplici. Itaque duplices axium partes aequae sunt primitivae atque simplices.

Has tres evolutionis formas fundamentales ex vitello dupliciti pendentes si statuo, non sola nitor theoria, quippe quide unaquaque earum observations quasdam, quamquam singulas, afferre possim.

Ad formam primam quod spectat, ovulum planoris cornae a Davaine observatum huc refero, quod septo in duas divisum erat partes, in quarum utraque embryon est evo-

lutm. Hoc septum certe formatum non erat nisi duarum vesicarum germinativarum, quae proxime altera alteri adiacerent, faciebus inter se contingentibus. Praeterea piscis ovulum a Quatreages perquisitum hue pertinet, in quo duae vesicae germinativae, quibus duo embrya primo ex toto separata insidebant, manifesto evolutae sunt. Licet aliae hujus generis observationes stadio tam maturo, id quod ob talium casuum raritatem mirari non possumus, institutae non sint, tamen ex vesicae umbilicalis, quod vesicae germinativae rudimentum est, ratione posteris evolutionis periodis obvia de vesica germinativa concludi potest. Ubi gemellorum iisdem velamentis inclusorum sua utrique vesica umbilicalis est, ibi nobis jus suppetit suam utrique vesicam germinativam attribuendi <sup>43)</sup>). Quod dolendum est, nec in gemellorum, qui communibus inessent velamentis, nec in monstrorum duplicitum abortu editorum pervestigatione vesicae umbilicalis ratio satis ducta est, dum, membranarum deciduarum, choriorum, amniorum quae fuerit ratio, plerisque in cassibus fusius describitur. Itaque non inveni nisi casuum duorum mentionem, in quibus sua uterque gemellorum vesica umbilicali instructus fuerit. Quorum casuum alterum Mayer <sup>44)</sup>, delineatione addita, alterum H. Meckel <sup>45)</sup> descripsit. Hi casus, quamvis singuli extant, tamen certo sunt argumento, ex quo appareat, uno in ovulo duas evolvi posse vesicas germinativas; id quod, nisi forte statuere placuerit,

43) Consentire non possum cum Schultze, qui l. l. duplicitem vesicam umbilicalem his in gemellis, quos semper in una tantum vesica germinativa oriri opinatur, ex posterioris divisione paulatim facta repetendam censet.

44) Acta acad. Leopold. Vol. XVII. P. 2, 1834 p. 532.

45) L. l. p. 258.

duo ovula inter se coaluisse, tantummodo, vitello primitus dupli, explicari potest.

Observatio Quatreages oblata, de qua mentionem jam intulimus, etiam ex duabus vesicis germinativis uno in ovulo ortis monstra duplicitia oriri posse coarguit, quae tamen certe nonnisi talia esse queunt, in quibus, duorum embryorum initiis primitus omnino disparatis, laminae viscerales postea concreverint. Quarum margines, ut cum paribus coalescant, proclives sunt, nec nisi haec adest abnormitas, quod hac concretione duorum embryorum laminae viscerales junguntur. Id autem mihi non videtur fieri posse, ut casus duplicitatis vel anterioris vel posterioris ad vesicam germinativam primitus duplicitem referamus. Tum enim areae proliferac pars simplici axis fini respondens simul ad utramque vesicam germinativam pertineret, ideoque inter eas, neque vero in iis, posita esset necesse foret. Qua de re, his rerum conditionibus, tantum duo embrya ex toto duplicitia exsistere posse judico, sive separatim evolvantur sive postea inter se jungantur, ergo aut gemellos aut duplicitates totales. Certum est, priores alteris crebriores fore, et quidem, quum mihi evolutio illa, qua ex vitellis duobus duae formentur vesicae vitellinae, maxime normalis videatur, plerosque, qui communibus insint velamentis, gemellos hoc modo oriri suspicor.

Attamen alter quoque ovulorum, vitello dupli, evolutionis modus, quamvis fortasse rarius, ortui gemellorum communibus velamentis inclusorum, saltem in mammalibus, ansam praebere potest. In mammalibus enim, quum embryon ipsum, usque dum disjunctio a vitello paene finiatur, exiguum modo membranae germinativae partem constitut, si duo embrya

locis ejus quodam modo diversis aut omnino oppositis adsunt, corum uterque separatim evolvi et a vitello sezungi potest. Tantum, quum duorum embryorum primordia alterum proxime alterum sita sunt, in mammalibus gemellorum ortus impediri potest, quia laminae viscerales utrimque brevi inter se concurrunt atque coalescunt. Alia sane in avibus rei est ratio, in quibus, quum tota vesica vitellina embryo includatur, sicuti et Schultze<sup>46)</sup> admonet, etiamsi duo embrya oppositis inter se ejusdem vesicae germinativae locis insident, eorum laminae viscerales semper brevi congregari et concrescere, eoque monstrum omnino duplex, in cuius cavo abdominali communi vesica vitellina includatur, oriri necesse est.

Una in membrana germinativa duo evoluta esse embrya, jam saeculo proximo superiore Jacobi<sup>47)</sup> observavit, qui, piscium ovis arte secundatis, saepe se talia vidisse refert, in quibus duo embrya, plerumque inter se opposita, interdum alterum juxta alterum, vesicae germinativae insidenter. Porro Rathke<sup>48)</sup> in blennii vivipari ovulo duo vidi embrya uni insidentia vesicæ, cui alterum eorum funiculo tenui, qui nescio an ductus vitello-intestinalis fuerit, connexum esset. Denique Simpson<sup>49)</sup> anatis ovulum describit, in quo duo embrya oppositis vesicae germinativae locis insederint. Stadiis posteriobus, embryis separatim evolutis, duos necesse est ductus vitello-intestinales inveniri,

in simplicem vesicam umbilicalem inosculantes. Cujus modi observatio, quod equidem sciam, a nullo est tradita. Attamen, duobus embryis laminis visceralibus inter se concrescientibus, quod ad ductus vitello-intestinalis formationem attinet, id maxime refert, utrum haec concretio tota laminarum visceralium longitudine fiat an spatio embryorum exiguo, sive in capite sive in pelvi. In quorum casuum priore laminae interiores, inter duos axes positae, inter se coalescant, externaeque in membranae germinativae planitiem transeuntes solae disjunctionem a vitello efficiant et circa umbilicum simplicem coëant, quo facto, cavum corporis monstri simplici ductu vitello-intestinali cum cavo vitelli communicet. Laminis visceralibus autem solum fine anteriore aut posteriore coalitis, totum reliquum corporis utriusque cavum seorsus a vitelli cavo sezungi potest, eoque duo formantur ductus vitello-intestinales in hoc cavum inosculantes. Umbilicus intestinalis dum plerumque, ut experientia docet, simplex est, casibus, quos postremos memoravi, rarissimis, contra ea umbilicus vasculosus, quum ex utriusque corporis parte posteriore allantois propria proveniat, semper videtur duplex esse. Itaque vasa umbilicalia, etiamsi saepe nonnullorum evolutio retardetur, dupli numero adsunt, attamen, exceptis casibus rarioribus, in quibus suus utrique corpori annulus umbilicalis est cum proprio ductu vitello-intestinali, postquam per communem annulum umbilicalem penetrarunt, ut unus formetur funiculus umbilicalis, extra corpus conjunguntur. Quod ideo evenit, quia, quum duae allantoides ad formandas placentas plerumque chorii locis inter se proximis inserantur, quo fit, ut placentae coalescant, vasa umbilicalia altera proxime altera decurrere necesse est. Ejusmodi igitur funiculus umbi-

46) L. I. p. 521.

47) Hannover'sches Magazin 1765, 62tes Stück.

48) Abhandlungen zur Bildungs- und Entwicklungsgeschichte der Menschen und Thiere. Vol. II. p. 61.

49) Todd's Cyclop. II. p. 737.

licalis simplex non nisi extrinsecus unus est, quae con-junctio, ubi duae formantur placentae longo intervallo distan-tes, non efficitur. Itaque disquisitiones, num in monstris duplicitibus annulo umbilicali simplici funiculus umbilicalis sim-plex an duplex formetur, in universum non tanti momenti esse existimo. Etiam in gemellis, iisdem velamentis qui in-clusi sunt, etiamsi uno contineantur amnio, eorum placentis longius distantibus, duo funiculi umbilicales prorsus se-parati, uti H. Meckel et Mayer observarunt<sup>50)</sup>, reperiri possunt. Ex parte altera in gemellis, de quibus agitur, fu-niculi umbilicales alter proxime alterum inserti inter se implicari queunt<sup>51)</sup>. Placentis embryorum coalitis, etiam vasa umbilicalia illis respondentia in unum junguntur funi-culum umbilicale, qui inde, quemadmodum H. Meckel<sup>52)</sup>, Re-ynolds<sup>53)</sup> et Busch<sup>54)</sup> viderunt, aut majore aut mi-nore a gemellis intervallo bifurcatus appetet.

Denique, ut ad originem monstrorum duplichum, axe ex parte dupli, transeamus, quam formam Schultze du-plicitatem anteriorem posterioremque nominat, ea monstra-cur putari non possint diffissione orta esse, causas jam supra exposuimus. Neque vero magis iis parem attribuere possumus ortum, atque monstris, axe ex toto dupli, de-

quibus modo disseruimus. Embryorum primordia quamvis prope inter se admota sint, tamen axis organa separatim evolvi necesse est, ideoque, illis coalescentibus, tamen, ut duo organismi, quorum fundamenta jam jacta sint, postea in unum simplicem concrescant, opus est. Qua de re restat, ut has duplicitates ex formatione primitiva repetam, eoque ortus earum causa in periodo etiam priore quaerenda est, quo tempore, organorum axis initii nondum formati, eorum, ideo totius foetus, germen etiamtum indifferens fuerit. Hoc autem non sit nisi eo tempore, quo materia, ex qua foetus futurus sit, in macula embryonali accumulatur, quo loco si materiae, ex quibus duo formentur organismi, ex parte con-fluent, quum rudis massae cellulosaevolutio postea demum incipiat, intelligi potest, quo modo embryorum primordia pri-mitus bifurcata exstant. Verumtamen haec sententia, quam-quam cum observationibus aliis hoc pertinentibus nexu quo-dam continetur, tamen, quoniam macula embryonalis conve-nienter formata observata non est, tantum conjectura nititur. Quas jam attuli observationes Baer, Reichert, Valen-tin, viris doctissimis, oblatas, eac tantummodo ad areas proli-feras, jam evolutas bifurcatasque, sulcis primitivis chor-disque formae ejusdem instructas, referuntur. Certe hae observationes maximi momenti sunt, quippe quae duplicitatem jam primis evolutionis periodis apparere demonstrent.

Ulteriores metamorphoses, quae, bifurcatis embryorum primordiis praesumptis, fiant, uti jam admonuimus, imprimis a duplichum axis partium longitudine, ab anguli, quo inter se discedant, magnitudine, atque ab eorum se evolvendi facultate dependent. In universum, quae jam de monstro-rum, axibus ex toto duplicitibus, efformatione diximus, eadem

50) H. Meckel l. l. p. 255.

51) Tales casus Tiedemann in: Siebold's Lucina 1806. Vol. III. p. 19; porro Niemeyer in: Zeitschrift für Geburtshunde 1828. p. 189 memorant.

52) L. l. p. 255.

53) Gerson und Julius, Magazin für ausl. Lit. 1835. Vol. XXIX. p. 389.

54) Beschreibung zweier Missgeburten. Marburg 1803.

hoc in casu rata sunt. Duplicia embryorum initia eo melius evolvi, eoque prius in separata corporum cava coire poterunt, quo obtusior fuerit, quo inter se junguntur, angulus. Attamen in duplicitatis gradibus superioribus plerumque laminarum visceralium concretio saltem ad regionem gastricaam usque evenit, qua cum re, quod umbilicus intestinalis semper simplex est, cohaeret. Mihi unus modo cognitus est casus, isque ab Otto<sup>55)</sup> traditus, in quo, divisione demum in vertebris thoracis incipiente, quinquam cavis thoracico et abdominali communibus, duo tamen inventi sunt ductus vitello-intestinales, quorum uterque, intestino tenui diviso, ex respondente hujus crure exiret. Quae res me adducit, ut statuam, hoc in monstro cavum viscerale anterius commune majore vi, ideoque celerius, clausum esse quam duo cava posteriora, quo factum est, ut disjunctio a vitello, ex parte anteriore ad posticam progrediens, quadam duorum posteriorum, quae non concrevissent, corporis dimidiorum parte contineretur. Cui rei respondebat, quod anterior intestinorum a vitello sejunctio ultra locum divisionis pertinebat, quamobrem, quum jam disjunctio anterior posteriorque inter se concurrerent, necesse fuit, duos annulos abdominales duosque ductus vitello-intestinales cum duobus intestini tenuis cruribus simplicique vesica umbilicali communicantes exoriri.

Allantoidum vasorumque umbilicalium rationes, ut per se elucet, inde dependent, utrum monstri pars posterior simplex sit an duplex. Tantum in casu posteriore duea vesicæ allantoides ac duplia vasa umbilicalia exsistere possunt, quae tamen annulo umbilicali simplice extra corpus

55) Otto: Seltne Beobachtungen 1816. p. 25.

et ipsa in unum coalescent funiculum necesse est. Casus, in quibus hoc non factum sit, Otto<sup>56)</sup>, Barkow<sup>57)</sup>, H. Meckel<sup>58)</sup> commemorant.

Monstrorum duplicium amnion, ut per se intelligitur, semper simplex est<sup>59)</sup>.

56) Monstrorum sexcent. descr. Nr. 311 et 312.

57) Monstra duplia II. p. 65.

58) I. l. p. 257.

59) Hoc loco notaciones quasdam de amnii gemellorum in uno ovulo ortorum rationibus adjungere licet. Chorio simplici, amnion tamen in longe majore casnum numero duplex esse experientia docuit. Unde concludi potest, embryorum in duabus vesicis germinativis inter se disparatis uno in ovulo se evolventium suo utrumque in plerisque casibus amnio uti. Ceterum, etiam contrariam rei rationem observari, documento est casus ab H. Meckel memoriae proditus (I. l. p. 258), de quo supra jam alium in finem mentionem injeci. Quo in casu duo embrya sua utrumque vesica umbilicali instrincta non modo in chorio, verum etiam in amnio eodem inclusa erant. Schultze, ex ea profectus opinione, gemellos, de quibus agitur, non evolvi nisi in una vesica germinativa, amnion ex primativo, quod inter embryorum initia interjectum sit, intervallo dependere censem, quod intervallum si satis magnum sit, ut amnii plicae ad utrumque embryon pertinentes nullo obstacle formari et elevari possint, duo exoritura esse amnia, embryis autem altero proxime alterum sitis, spatium quum desiciat, in eorum marginibus inter se obversis nullam amnii plicam conformari posse, ideoque duo embrya plicis, quae in marginibus inter se aversis attollantur, obtegi, i. e. amnio simplici includi. Quae explicatio mihi maxime probabilis videtur, idque eo magis, quod, quo tempore amnion formatur, foetus parvam vesicæ germinativæ partem constituit, ideoque intervallum valde diversum statni potest. Quae explicatio, me judice, ad eos quoque transferenda est casus, in quibus, uti in eo, quem Meckel observavit, duo embrya, in diversis vesicis germinativis evoluta, uno inclusa sunt amnio. Hic quoque animo singi potest, raris in casibus embrya in vesicæ parietibus posita, qua planicie duea vesicæ vitellinae inter se contingat, alterum tam prope alte-

Denique nonnullas res respicere liceat, ad quas explicandas videtur aut concretio aut diffissio statuenda esse, quas tamen mihi persuasum est ex formatione primitiva in ovulo posita aequo simpliciter repeti posse.

Schultze fieri posse arbitratur, ut in avibus, duobus ovis (vitellis luteis) inter se coalitis, monstra duplia oriuntur, id quod jam supra commemoravimus. Quibus adjicio, si in avis ovulo vitellum luteum duas contineat cicatriculas inter se proximas, rerum conditiones similes esse illis, quas de mammalium ovulo, vitello dupli, attulimus. Etiam ovuli avium ortus argumento est, tantum vitellum formativum, quod vocatur, veram esse substantiam vitellinam, contento ovuli mammalium respondentem. In ave etiam in folliculo primordiali vesicula germinativa prima efformatur, quae sensim substantiis ex folliculi contento precipitatis involvitur. Quo processu finito, membrana limitans non formari videatur, sed ovulum in massam cellulosam ex folliculi Graafiani parietibus oriundam, in vitellum luteum, immergitur. Sicut in mammalibus, item in avibus fieri potest, ut raris in casibus duae uno in folliculo primordiali vesiculae germinatae exstant, ideoque duo ovula, proprie sic dicenda, in unum idemque vitellum luteum immersa oriantur. Cicatriculis igitur altera proxime alteram sitis, quum iis, quantum verisimile est, zona dirimens desit, similes, atque in mammalibus, vitello dupli, evolutionis processus fieri, i. e. massae vitellinae, sulcorum formatione peracta, ad unum cellu-

---

rum sita esse, ut inter ea plicae amnii formari nequeant, ac soleae externae ea tegant. Quod si, quamvis duae adsint vesiculae germinatae, fieri potest, eo facilius credere licet, si ambo embrya ad unam pertineant vesicam germinativam, simplex iis formari posse amnion.

larum acervum efformandum confluere possunt. Sin autem sententia ab H. Meckel posita, etiam avis ovulum verum zona mucosa, quamvis tenera, instructum esse, vera esse cognoscatur, nil obstat, quin existimemus, si duo ejusmodi ovula in vitello luteo proxime inter se posita sint, ea, uti respondentia mammalium ovula, ipso initio zona communis ab externis limitata esse. E contrario, duabus cicatriculis longiore intervallo distantibus, sua utrique adscribenda est zona, talisque casus illi est comparandus, quo in mammalibus unus folliculus Graafianus duo continet ovula<sup>60).</sup>

Monstra duplia, quod semper organis et systematis cognominibus inter se cohaerent, concretioni quidem certissime repugnat, neque tamen aequo certo diffissioni patriconatur. Certe, primitiva initiorum embryonalium partim simplicium partim duplicium formatione posita, hoc phaenomenon aequo explicari potest.

Quod attinet ad momentum pro theoria de diffissione

---

60) Quum verisimile sit, vitellum luteum non esse nisi cellularum catervam luxuriantem, membranae granulosae folliculorum mammalium respondentem, quae tamen in ave totum expletat folliculum, extremis ejus stratis in membranam, quae ovuli avium membrana vitellina dicitur, concretis, concludere licet, in quovis avium folliculo unum modo vitellum luteum oriiri posse. Itaque, si in una ovi testa duo vitella lutea cum cicatriculis suis inveniantur, ea non putari posse ex uno folliculo orta esse arbitror, quoniam, hoc si foret, duas cicatriculas uno vitello luteo cingi necesse esset. Membrana putamini ovi subjecta putamenque ipsum extrema sunt involucra, postremo formata, quae ovulum in oviductu circumdant, et prior quidem secundum investigationes Henrici Meckel non est nisi pars resoluta membranae mucosae oviductus. Itaque sane animo fingi potest, duo vitella lutea aut uno aut fere eodem tempore ex diversis folliculis egredientia interdum una communi membrana putamini subjecta unoque putamine inclusa esse, similiter atque duo mammalium ovula una membrana dicidua involuta.

allatum, quod monstra semper ejusdem sunt sexus, idem in gemellis, quorum communia sint velamenta, quantum experientia docuerit, fieri solere jam admonui. Quamobrem hujus phaenomeni causam in eo quaerendam esse judico, quod quisque folliculus primordialis aptus non sit nisi talibus formandis ovulis, ex quibus ejusdem sexus organismi orientur.

Valentin<sup>61)</sup> in piscis ovulis arte secundatis, quae ei piscator statim post secundationem ex loco complura millaria distante attulerat, monstrorum duplicitum numerum pro rata parte magnum ( $\frac{2}{3}$  p. c.) invenit. Similia Jacobi<sup>62)</sup> et Baer<sup>63)</sup> observarunt. Unde quis conjiciat, ovulis in portando conquassatis aliisque momentis mechanicis germinum diffissionem effectam esse. Verumtamen ex parte altera, idque eodem jure, suspicari posse videor, in piscium natura situm esse, ut saepe monstra duplicita gignant. Quae proclivitas si quibusdam hominibus familiisque, quantum experientia compertum habetur, peculiaris est, eadem certe de totis animalium speciebus statui possit<sup>64)</sup>. Quodautem nihilosecius duplicita piscium monstra raro observantur, eo explicari potest, quod ex ovulo egressa, uti Baer et Valentin in omnibus, quae iis oblata sunt, exemplis viderunt,

61) I. l.

62) I. l.

63) Ueber doppelleibige Missbildungen.

64) Ejusmodi proclivitas, ut exemplo utar, certe in squalo occurrit. Baer l. l. complura ejus speciei exempla duplicita in diversis asservata museis affert. Quae animalia, quum satis magna sint, si ex ovulis progrediantur, Baer suspicatur, facile piscatorum in manus incidere posse. Aliis autem in piscibus, uti in cyprino blicca, teste Baer, quamvis ovula eorum permulta disquisierit, nunquam monstra duplicita reperiuntur.

perbrevi tempore perierint. Porro afferri licet, in ovulis piscium, in quae Valentini inquisierit, monstra duplicita ceteris abnormitatibus numero longe praestitisse. Conquassatio mechanica si ad germina vim exhibuisse credatur, mirari possis, insultum mechanicum vehementissimum omnium creberrimum fuisse.

Geoffroy St Hilaire et Valentini<sup>65)</sup> in ovulis gallinaceis, membrana germinativa laesa, diversi generis deformitates produxerunt. Membranam germinativam, ut quae tela sit organica, laesioribus mechanicis in actionibus suis manifestandis, ergo in evolutione, turbari posse, quamvis dubitari nequeat, tamen hac re demonstratum non est, rerum conditionibus normalibus, ejusmodi laesiones mechanicas fieri posse, multoque minus sic monstra duplicita gigni posse constat. Quorum posterius Valentini, viro cl., in experimentis suis semel tantum efficere contigit<sup>66)</sup>, cui tamen observationi ipse vir doctus parum momenti attribuit. Si autem quis eam pluris habere voluerit, inde hanc modo conclusio nem efficere liceat, membrana germinativa re vera diffissa, nisi ovulum pessumdetur, monstrum duplex effici posse, neque vero hanc unicam horum monstrorum originem esse apparet, quum praesertim insultus talis, qualis vel cultro vel forifice efficitur, normalibus rerum conditionibus, vix fieri possit.

Cum monstrorum duplicitum genesi a me statuta duplicitates inferioris gradus, axis organis simplicibus, ergo extremitatum, digitorum etc. duplicitatem, in concordiam redigi non posse ingenue confiteor. Ad quas duplicitates quod

65) Valentini's Repertorium 1837. p. 168.

66) I. l. p. 169.

spectat, quum mihi non videatur fieri posse, ut, praeeunte d'Alton<sup>67</sup>), duo embrya concrevisse putemus, quumque non magis placeat mechanicam germinis extremitatum diffissionem statui, nihil restat, nisi ut, exemplum Bischoff<sup>68</sup>), viri cel., secuti, abundantem materiae formatricis copiam ponamus. Qua posita, his quoque duplicitatibus primitiva ex germine suo formatio tribuenda est. Fortasse, ut eas, originis respectu habito, cum monstris, in quibus axis organa duplia sint, in quandam connexum redigamus, dicere possimus, materia formatrice, ex qua duo futura sint embrya, ex toto confusa, e macula embryonali simplici ita orta unum quidem organismum efformari, attamen hoc ejus ortu abundantem materiae formatricis copiam effici, quae extremitatum etc. duplicitate manifestari possit.

### CAPUT III.

#### ***Notationes de modo, quo verisimile sit ovem bicorporem a me disquisitam ornam esse.***

Embryorum in area prolifera primordiis primitus bifurcatis, et quidem a fine posteriore ad caput usque duplicitibus positis, plerasque posteriores durante evolutione metamorphoses foetusque maturi et formae et situs rationes ex illis pendentes facile persequi licet. Angulum, quo duo furcae brachia inter se discederent, non ita acutum fuisse, ne-

67) De monstris, quibus extremitates superfluae suspensae sunt.  
Halis 1853.

68) Missbildungen in: Wagner's Handwörterbuch. p. 911.

cesse est; alioquin enim paries costo-sternalis superior interior tantopere evolvi nequisset. Nam, uti in duplicitatibus, axium primordiis parallelis, ita hoc quoque in casu laminarum visceralium, quae altera ad alteram conversae sunt, efformatio non impedita praecipue ex spatii eis concessi rationibus dependet.

Evolutionis processum in membrana germinativa eo modo factum esse verisimile est, ut primum caput simplex, deinde duae pelves a vitello se jungerentur. Qua in re laminae viscerales, evolutione progrediente, latitudine adactae sunt, et disjunctio a vesica vitellina, inde a capite ad truncum versus progrediens, quum laminae viscerales internae altera alteri obversae inter se contingerent concrecerentque, tantummodo duabus laminis exterioribus effici potuit. Unde unum cavum viscerale anterius, duobus corporibus commune, admodum amplum, in simplex capitinis cavum insculans, ortum est, dum duo exstitere cava posteriora. Inferior cavi visceralis anterioris paries laminis visceralibus externis, deorsum se curvantibus, formatus, ut per se apparet, magis, quam paries superior, laminis interioribus constitutus, evolvi potuit. Laminae externae, priusquam jungerentur, pro se quaque libere extendi curvarique potuere, dum internae, postquam quandam per latitudinem assecutae sunt extensionem, brevi tempore altera alteri concurrerunt. Itaque, ut pro se utraque curvaretur, fieri nequit, quod si factum esset, earum inter se concretio impedita et utriusque corporis cavum seorsus formatum foret. Cui rei parietis costo-sternalis ad partem superiorem vel postican conversi complanatio haud exigua cohaeret. Costis in hoc pariete se efformantibus, incremento progrediente, spatium inter axes

situm sensim justo angustius evasit, unde evenit, ut jam in situ primario remanere nequirent, sed, quo longiores fierent, eo magis ad partem posteriorem verterentur, quo consentaneum est factum esse, ut sternum eās conjungens magnopere ad partem posticam pelleretur, angulique, quibus costae sterno duabus columnis vertebralibus insererentur, acutissimi exsisterent. Magis ad partem posticam versus intervallum inter duorum corporum primordia interpositum satis magnum fuit, ut separatim evolverentur atque a vitello scorsus disjungarentur. Quo factum est, ut haec dimidia modo prorsus symmetrico evolvi possent.

Lateralibus duorum corporum laminis concretis, eadem exorta est species, quam monstra Jani formam referentia praebent, i. e. duo corpora inferiore (anteriori) pectoris abdominisque facie inter se coaluisse visa sunt. Itaque axes in vesica germinativa ab initio alter juxta alterum decursum tenentes, fieri potuit, ut postea alter alteri essent oppositi. Quae duorum axium rotatio, imprimis internorum dimidiorum lateralium inter se coalitorum evolutione et extensione effecta, in monstris Jani instar formatis causa est, cur duorum organismorum latera per totam eorum longitudinem vesicæ germinativæ incumbant, ita ut, quum alter alteri sit oppositus, alterum lateri dextro, alterum sinistro incumbere necesse sit. Idem hoc in casu, de quo agimus, de duobus dicendum est corporibus, eo tamen discrimine, quod, quum eorum columnae vertebrales communi adjungerentur capiti, peculiaris illa columnarum vertebralium rotatio, a parte anteriore posticam versus augescens, de qua supra memoravimus, existere necesse fuit. Neque tamen sola haec rotatio sufficit, quae parieti casto-sternali superiori (inferiori)

sese evolventi satis spatii impertiret. Columnae vertebrales in partis suae thoracicae initio, ubi earum inter se distantiam nondum satis magnam fuisse verisimile est, costis interioribus (superioribus) propulsae, idque eo magis, quod costae curvari nequierunt, partem exteriorem versus infringarentur, earum kyphosis oriretur, necesse fuit.

Jam haec duorum corporum Jani ad instar concretio etiam ad regionem epigastricam, ad umbilicum simplicem usque, pertinuit, qui umbilicus in monstris duplicitibus, facie anteriore (inferiore) altero alteri concretis, semper communis esse solet. Sunt monstra duplia, quae, corpore reliquo ex toto disjuncto, sola regione umbilicali inter se coaluerint. Cujus rei causa in eo quaerenda est, quod haec corporis pars postrema a vitello disjungitur; namque laminae viscerales, latitudine magis magisque se extendent, in regione umbilicali summam assecutæ sunt latitudinem, ideoque, si quidem omnino laminae aliquo spatio inter se concrescant, semper etiam regiones umbilicales coalescere necesse est, dum ex parte altera, quamvis organismis tota reliqua extensione disparatis, sola regionum umbilicalium concretio fieri potest. Quae in cavi corporis efformatione, eadem in cavi intestinorum a vitello disjunctione, rei est ratio. Etenim in hac quoque ea intestini medii pars (Mitteldarm), quae ad postremum patet atque intimum est stratum, quod partem communem cavi, visceralis ipsi respondentem, ad ultimum apertam, intus vestit, utrique embryo communis efformatur, dum aut superior aut inferior intestinorum pars vel etiam ambae duplices esse possunt. Itaque, ubi simplex invenitur umbilicus, ibi semper etiam simplex exstat intestinum duodenum, quod ductu vitello-intestinali, et ipso simpli, cum

vesica umbilicali communicat. Demum, hoc ductu emisso, tractus intestinalis dividi incipit. Eodem modo in casu, de quo disserimus, rem se habuisse certum est.

Vasa umbilicalia quod dupli adsunt numero, indicio est, duas evolutas fuisse vesicas allantoides, quarum vasa tamen, verisimile est, extra corpus in unum funiculum se conjunxisse.

In monstris duplicibus, quorum facies cognomines inter se oppositae sint, plerumque corpus alterum inversionem viscerum ostendere, experientia compertum est<sup>69)</sup>. Bischoff conjectit, normalem viscerum positionem inde pendere, quod embryon in vesica germinativa lateri suo sinistro incumbere soleat<sup>70)</sup>. Schultze, qui huic sententiae adstipulatur, si monstra duplia facies cognomines alteram alteri obvertant indeque lateribus incumbant, duorum corporum alterum, et quidem, faciebus abdominalibus inter se oppositis, corpus dextrum latus suum dexterum, vesicae germinativae obvertere, necesse esse admonet<sup>71)</sup>. Evidem, monstrum perscrutatus, corporis dextri inversionem animadvertis, quae tamen, hepatis situm normalem obtinente, ad sola pertinebat cavi abdominalis vasa.

Postiores corporis dextri extremitates circumactae pro exiguo asymmetriae gradu habendae sunt; in monstris duplicibus autem utriusque corporis efformatio prorsus symmetrica inter rariores referenda est casus, plerumque alterius corporis evolutione admodum retardata. Teste Henrico Meckel,

in monstris duplicibus minima duorum corporum inaequabilitas in eo consistit, ut eorum modo alterum labium leporinum, cyclopiam, spinam bifidam, digitorum numerum normam excedentem, formas sirenis, vesicam urinariam inversam, atresiam ani, organa genitalia incompleta, herniam umbilicalem, crura distorta etc. offerat<sup>72)</sup>. De peculiari extremitatum anteriorum sursum versus spectantium positione jam supra verba fecimus.

Ad tubi digestorii formationem quod attinet, eum quidem tota per longitudinem suam extensione, id quod duorum corporum rationi convenit, excepta parte ad caput perfidente, aut duplicem aut saltem ex duorum intestinalium elementis compositum esse censeo, nisi quod pars intestinalium anterior ad umbilicum usque, aequa ac dimidia corporum anteriora, et quidem, quantum videtur, propter ipsam hanc eorum rationem, cavum continet commune. Quae sententia mihi ipso modo, quo tractus intestinalis evolvitur, niti videtur. Etenim tractus intestinalis evolutio illud capit initium, et intimum vesicae germinativae stratum, quo corporis cavum intus vestitur (quae a Baer lamina vegetativa dicitur), a futuris corporis parietibus, excepta stria angusta secundum columnam vertebralem porrecta, sensim dissolvatur; quo modo quae exortae sunt laminae ventrales (Darmplatten), paullatim altera alteri propius accedentes, sulcum, secundum columnam vertebralem qui decurrit, sulcum ventralem dictum, conformant. Est autem respiciendum, hoc in casu et corpora duo et duas columnas vertebrales adfuisse, quorum utrumque hoc strato intimo, quamvis continue ex corpore

69) H. Meckel I. l. p. 251 et Schultze I. l. p. 522.

70) Bischoff, Missbildungen etc. p. 917.

71) Schultze I. l. p. 522.

72) H. Meckel v. H. I. l. p. 251.

altero in alterum transiret, intus obtegeretur. Quodsi laminae ventrales, ad duo pertinentes corpora, a stratis superioribus sensim resolvebantur, duo orti sunt sulci ventrales, ex simplici intestinalorum parte ad caput pertinente exeuntes, alter proxime alterum, magis partem posticam versus alter contra alterum decurrentes, quorum laminae interiores interpositae, quo usque laminarum visceralium concretio extenditur, ergo ad umbilicum usque, altera in alteram directe transirent. Qui duo sulci ad partem posticam furcae instar discedentes hac in parte in corporis dimidiis posterioribus inter se disjunctis situm habebant. Ut igitur anterius cavum viscerale solis laminis visceralibus externis constringendo a vitello disjunctum, item commune tractus intestinalis cavum usque ad umbilicum sola duarum laminarum ventralium externalium concretione a cavo vitellino sejunctum est, duas interioribus jani primitus inter se cohaerentibus. Itaque hoc in casu laminarum ventralium Jani instar concretio, quae corporis parietibus coalitis respondet, facta est, unde evenit, ut ex materia ad efformandos duos tractus intestinales idonea unus modo oriretur tubus digestorius. Ob causam eandem, quae in corporis parietibus valuit, etiam in tractu intestinali haec partium communitas usque ad locum, qui postremus formaretur, i. e. usque ad umbilicum intestinalem, pertineret necesse erat. Inde ab hoc loco duorum sulorum divisio initium cepit, ideoque hi sulci separatim occlusi sunt, duoque tubi conformati.

Jam ipsa intestinalorum natura causam attulit, cur tractus intestinalis monstri nostri extrinsecus nullum praefeat indumentum, ex quo appareat, eum Jani ad instar duorum intestinalium primordiis inter se coalitis extitisse. Verumtamen et

aliae rerum conditions huic sententiae adminicculo videntur esse. Huc pertinet omnium primum peculiaris, quam communis intestinalis pars ad duodenum usque ostendit, positio faciebus, columnarum vertebralium ratione habita, latera versus, marginibus contra positis. Qui situs facierum pectoralis abdominalisque positioni, quae ex truncorum Jani in modum concretione pendet, stricte respondet. Itaque loca, quibus laminae ventrales utrumque alterae in alteras transeunt, parallelum lineae, qua laminae viscerales concreverunt, situm obtinent. Porro non exigui momenti illud est, quod intestinalis pars, de qua agitur, in ipsa linea media inter duas columnas vertebrales situm habet. Normalibus rerum conditionibus, tubus digestorius paullatim a columna vertebrali dissolvitur, quo in casu connexus cum illa laminis altera alteri se applicantibus (laminis mesentericis, auctore Baer) strati intestinalis extrinsecus tegentis (laminae vasculosa, praeeunte Baer) efficitur. Quae laminae intestinalis parti ad thoracem pertinenti destinatae quamquam postea omnino pereunt, tamen hujus partis primitivus cum columna vertebrali nexus etiam in organismo perfecto eo manifestatur, quod proxime ipsam columnam vertebralem adjacet. Itaque hoc in casu, quum secundum duas columnas vertebrales duo exorti essent sulci intestinales, pars intestinalis communis ex illis forma bini laminis mesentericis duabus columnis vertebralibus affixa fuerit necesse est. Ergo haec pars neque huic neque illi columnae vertebrali proprius accedere potuit, sed in ipsa linea media inter ambas est evoluta. Mesenterium duplex autem re vera adfuisse, argumento est ventriculus utrique columnae vertebrali affixus. Certissimum vero hujus rei documentum inde judico repetendum esse, quod in ventri-

culo communi duplicitas ex duorum ruminum duorumque reticulorum praesentia, ac duorum ventriculorum tertiorum nonnullis saltem vestigiis luculenter appareat. In ruminantibus ventriculus quartus, qui hominis ventri respondet, primus efformatur, ex quo postea ceterae ventris portiones saccorum instar proveniunt<sup>73)</sup>. Quae portiones quum omnes dupli exstant numero, hinc concludere licet, etiam ventriculum quartum ipsum re vera duplum esse. Idem hepatis duplicitas coarguit. Hepar, quemadmodum ex pervestigationibus a Remak institutis elucet<sup>74)</sup>, intestinis sacculos emittentibus formatur, qua de re nobis jus suppetit concludendi, intestinum re vera simplex semper non efformare nisi hepar simplex. Teste Remak, prima hepatis initia formam duarum prominentiarum, conis similium cavarumque, ex intestinalium pariete provenientium, offerunt, quae prominentiae postea ponte cylindraceo inter se jungantur; prominentiae hepatis loborum sinistri dextrique, pons medii sunt primordia. Cono dextro saccum emitente, vesica fellea oritur. Si autem quis statuerit, unum istorum saccorum per se in hepar esse transformatum, haec opinio eo refellitur, quod ambo hepata modo normali ex ternis nostro in casu lobis consistunt, quodque sua utrique vesica fellea, suus est ductus cysticus. Tubus alimentarius igitur, excepta parte ad caput attinente, re vera duplex est; ille re vera ad utrumque simul corpus pertinet, ad illum formandum utrumque aliquid contulit<sup>75)</sup>.

73) Gurlt: Handbuch der vergleichenden Anatomie der Haussäugethiere. Berlin 1843. Vol. II. p. 42.

74) Remak: Untersuchungen über die Entwicklung der Wirbelthiere. Berlin 1851. p. 52. sq.

75) Quamobrem falsum esse existimo, quod in monstris dupli-

Secundum disquisitiones a Remak<sup>76)</sup> factas lien in laminis mediis, quas dicit, a Baer laminis mesentericis appellatis, exsistit. Quod autem, quamvis duplex adsit mesenterium, unus tantum formatus est lien isque corporis sinistri, ejus rei nulla alia succurrit explicatio, nisi ut iterum quandam evolutionis asymmetriam statuam, ad quam etiam extremitates posteriores ejusdem corporis circumactas retuli. Crediderim igitur, corporis dextri lienem, cuius primordia adfuissent, brevi tamen in evolutione sua substitisse ac denique totum evanuisse.

In inferiore cavi visceralis anterioris pariete secundum normam cor evolutum est, quod, quum ex parte utriusque corporum communi efformatum sit, ad utrumque pariter pertinet. Unica, quae in corde deprehenditur, abnormitas, ostiorum venarum numerum justo majorem dico, pariter, atque abnormes vasorum majorum ex corde exeuntium duplicitates, simpliciter inde repeti potuerit, quod quaedam circulationis in foetu vasa, quae normalibus rerum conditionibus postea evanescunt, hoc in casu, ut utriusque corpori aequabiliter sanguinem subvehement, in vasa maxima sint transformata. Sic, quod magnas attinet arterias, tria arcuum aortae paria e bulbo aortae oriunda omnia et servata et amplius evoluta sunt, et quidem par primum ad duas arterias carotides, alterum, cuius arcus dexter statu normali evanescit, ad duorum corporum aortas, tertium denique ad arteriam pulmonalem ductumque arteriosum Botalli efformatum est. Ad ul-

cibus, umbilico simplici, intestinum duodenum semper simplex esse dicitur. Est quidem simplex forma, neque tamen ortu. Malum commune dici.

76) L. l. p. 60.

tum par quod spectat, ea observata est abnormitas, quod arcus dexter in ductum arteriosum Botalli mutatus erat, ideoque aorta dextra cum arteriae pulmonalis trunco communicabat, dum arcus sinister, postea in duos ramos maiores divisus, arteriae pulmonalis partes suscepit. Evolutione normam sequente, contraria rei est ratio. Neque non arteriarum dispositio ea in re a norma recessit, quod utriusque corporis arteriae subclaviae non, uti in ruminantibus solent<sup>77)</sup>, ex comitanti cum carotidibus trunco anonymo originem cepere, sed prorsus disjunctae ex aortae arcu prodierunt.

Simili ratione, quod duplices exstant venarum trunci e corde simplici oriundi, explicare possumus. Investigationes a Rathke<sup>78)</sup> institutae duas primitivas venas jugulares in duos Cuvieri ductus inosculare docuerunt, qui ductus utrimque venis jugulari et cardinali inter se coemuntibus orientantur. Duo ductus Cuvieri in truncum perbrevem, in cordis utriculum transeuntem, conjunguntur. Qui truncus deinde jam mature in cordis interea amplius evoluti atrium trahitur, ita ut duo ductus Cuvieri separatim in cor inosculent. Venae cardinales duae et ipsae in ductum Cuvieri transeuntes quum interim valde coactatae sint, ac denique sinistram truncus ex toto evanuerit, dum e dextra originem ducit vena azygos pro rata parte parva, quacum sinistram reliquiae anastomosi conjunctae venam hemiazygon formant;

77) Bischoff: Entwicklungsgeschichte der Säugetiere und des Menschen. p. 251.

78) Abhandlungen über den Bau und die Entwicklung des Venensystems bei Wirbeltieren. Dritter Bericht über das naturwissenschaftliche Seminar bei der Universität zu Königsberg. 1838.

duo ductus Cuvieri inter se disjuncti jam duas venas cavae anteriores (superiores) efformant. Nonnullo autem temporis spatio interjecto, hoc quoque loco anastomosis oritur duas venas jugulares, ubi in ductum Cuvieri transeunt, conjugens, quae, crassior crassiorque facta, omnem venae jugularis sinistrae sanguinem in ductum Cuvieri dextrum perducit, sinistro coartato postremoque omnino evanescente. Quo facto, ductus Cuvieri dexter simplicem format venam cavam anteriorem. Itaque hujus venae duplicitas in monstrum, quod perquisivimus, obvia simpliciter ita explicari potuerit, ut, anastomosi ista non formata, singuli ductus Cuvieri in singulas venas cavae anteriores efformati esse putentur.

Vena cava posterior, vena omphalo-mesenterica, postquam cum hepate conjunctionem init, inter hepar et cor funiculum primo tenuem tenerumque, qui inter duo corpora Wolfiana in ponte Okenii decurrit, recipiente, existit, qui funiculus, dum venae omphalo-mesentericae pars pone locum, quo ille inosculat, sita evanescit, celerrime adaugatur. Inaequabilitas, quae funiculo a venae omphalo-mesentericae trunco recepto cum ipso hoc trunco intercedit, sensim evanescit, ita ut denique ambo continuum vas, nempe venam cavam posteriorem, forment. Ergo venae cavae posteriores duplicitas ad superstites venas duas omphalo-mesentericas jam primitus exstantes referri potest, quarum utraque cum primordiis partis posticæ venae cavae posteriores in utroque corpore ortis sese conjunxerit. Quod corporis dextri vena cava posterior volumine est longe minore, quam corporis sinistri, hoc et ipsum argumento est, ex quo

evolutionis duorum corporum inaequabilitas, quamvis exigua,  
appareat.

Illa autem abnormitas, quod utroque in corpore vena  
subclavia sanguinem in corporis sinistri venam cavam poste-  
riorem effundit, unde deducenda sit, ejus rei explicationem  
me deficit aperte confiteor.

### Tabulae explicatio.

Fig. I totum monstri sceletum proponit. Monstrum thoraci,  
quem superiore dixi, incubat, qui tamen in icona falso quandam  
convexitatem ostendit, dum thorax faciei oris respondens, quem in-  
feriore dixi, libere aspectui patet. Declinatio per cameram lu-  
cidam facta est, qua de causa altera columna vertebralis multo bre-  
vior appareat. Ut thorax inferior plane sub adspectum caderet, sea-  
pularum ei impositarum situs commutatus est, ita ut earum spes  
glenoidales ad partem posticam conversi sint, qua re extremitatum  
respondentium positio similis existit illi, quam duae extremitates  
anteriores sursum spectantes revera tenebant.

Fig. II monstri caput, collum pectusque desuper spectata pro-  
ponit. Abnormis scapularum positio, obliquus costarum ad partem  
posticam decursus, processum spinosorum ad exteriora inclinatio  
sensim accrescens, et duarum columnarum vertebralium kyphosis  
manifesto conspiciuntur.

A, atlas simplex paullulum latus, B, epistropheus dexter, B',  
epistropheus sinister, C, epistrophei sinistri arcus dexter cum ver-  
tebra non coalitus.

Fig. III easdem monstri partes ab inferiore parte spectates pro-  
ponit. Scapularum positio normalis est. Literae A, B, B' easdem  
partes designant. C, arcus dexter epistrophei sinistri cum atlante  
massis ligamentosis conjunctus, inter duos epistropheos situs, qua  
re ossis intercalaris speciem praebet.

evolutionis duorum corporum inaequabilitas, quamvis exigua, appareat.

Illa autem abnormitas, quod utroque in corpore vena subclavia sanguinem in corporis sinistri venam cavam posteriore effundit, unde deducenda sit, ejus rei explicationem me deficere aperte confiteor.

### Tabulae explicatio.

Fig. I totum monstri sceletum proponit. Monstrum thoraci, quem superiore dixi, incubat, qui tamen in icona falso quandam convexitatem ostendit, dum thorax faciei oris respondens, quem inferiorem dixi, libere aspectui patet. Declinatio per cameram lucidam facta est, qua de causa altera columnae vertebralis multo brevior appetit. Ut thorax inferior plane sub aspectum caderet, scapularum ei impositorum situs commutatus est, ita ut earum spines glenoidales ad partem posticam conversi sint, qua re extremitatum respondentium positio similis existit illi, quam duas extremitates anteriores sursum spectantes revera tenebant.

Fig. II monstri caput, collum pectusque desuper spectata proponit. Abnormis scapularum positio, obliquus costarum ad partem posticam decursus, processum spinosorum ad exteriora inclinatio sensim accrescens, et duarum columnarum vertebralium kyphosis manifesto conspiciuntur.

A, atlas simplex paullulum latus, B, epistropheus dexter, B', epistropheus sinister, C, epistrophei sinistri arcus dexter cum vertebra non coalitus.

Fig. III easdem monstri partes ab inferiore parte spectates proponit. Scapularum positio normalis est. Literae A, B, B' easdem partes designant. C, arcus dexter epistrophei sinistri cum atlante massis ligamentosis conjunctus, inter duos epistropheos situs, qua re ossis intercalaris speciem praebet.

## Theses.

---

- 1) *Monstra duplicita nec coalitis duobus germinibus in duobus ovis contentis, nec diffiso germine uno oriuntur.*
- 2) *Avium vitellum luteum in mammalibus, mammarium membrana decidua in avibus quoque exstat.*
- 3) *Non est contrarietas sexuum.*
- 4) *Tantum graviditatis hebdomadibus quattuor vel quinque ultimis uteri portio vaginalis brevior redditur.*
- 5) *Hydrates carbonis intra corpus non mutantur in adipem.*
- 6) *Nihilominus verbo „Fettbildner“ designari possunt.*



Fig. III.



Fig. I.

Fig. II.

Fig. III.